Digitized by Google


1

DECRETA
EX ACTIS CAPITVLORVM GENERALIVM CLERICORVM REGVLARIVM EXCERPTA

Iuſſu Capituli Generalis M. DC. LIII.

EDITA.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. M. DC. LIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google



Digitized by Google

D. BONIFACIVS ALLIARDVS
Congregationis Clericorum Regularium Prępoſitus Generalis,

Decreta hæc ex Actis Capitulorum Generalium noſtræ Congregationis excerpta, Capituli Generalis 1653. auctoritate à decem noſtræ Congregationis Theologis accuratè recognita, & à nobis, noſtriſque Conſultoribus iterum ad examen reuocata, & approbata, volumus typis mandari, ſedulòque à noſtris ſeruari. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 13. Auguſti 1653.

D. Bonifacius Alliardus Prępoſitus Gen. Clericorum Regularium.

Loco ✠ Sigilli.

D. Nicolaus de Lino Secret.

Digitized by Google

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacr Palatij Apoſtolici.

A. Epiſcopus Verulan. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Fanus, Socius Reuerendiſs. Mag. Sac. Palatij Apoſt.

Digitized by Google

PRAEFATIO

OPportunum communi Congregationis bono, Decreta idẽtidẽ, ac leges præſcribi: vt quæ vidẽtur diſciplinæ conſentanea, ſanctis ordinationibus in morem inducantur. Has autem ordinationes, quæ à Capitulis Generalibus ſucceſſiuè, ac ſparſim ſtatuuntur; quód ſecús aliquando temporis ratio, ac vſus decernat, accuratè recognoſci, atq; ad exacti iudicij lancem expendi; túm in vnum illigari corpus, ac ſuo ordine componi, plurimùm intereſt. Factum id aliàs eorúdem Generalium comitiorum auctoritate, ac Patrum Curis, quibus id negotij demandatum. Iam, quòd alia ſubindè, atque alia manauerint ſucceſſu temporis Decreta, atque ex ijs aliqua explicari clariùs, temperari nonnulla, quędam, veluti quæ vſus iam improbauerit, reſcindi poſcerent, reuocari iterum ad examen hæc ipſa Decreta oportuit. Quod vbi Capituli conſulto, ac iuſſu decem-Viri ex noſtris,

laude

laude prudentiæ, atque eruditione præſtantes perdiligēter nauauerint, prodit modò quicquid ordinationū ſeruari à noſtris debet, ſeriè, ordine ad Conſtitutionum formam probè digeſtum. Reliquum eſt, vt & qui præſunt, & qui parent hæc eadem firmiùs ipſo diſciplinæ vſu ſanciant. Planè, cū nullum ſacris familijs certiùs munimentū, quàm optimę ſanctiones, ſtare religioſorū Ordines, neceſſe eſt, illas ſi ſerues: dilabi, ſi negligas.

SERIES CAPITVM

PRIMÆ PARTIS.

DE Ritibus, & Ceremonijs, Cap. I. pag. 1
De munditia, & nitore Eccleſiæ, & ſacræ ſupellectilis. Cap. II. 1
De adminiſtrandis Sacramentis Cap. III. 2
De regendis Monialibus. Cap. IV. 3
De oratione mentali. Cap. V. 4
De ſuſcipiendis Sacramentis. Cap. VI. 4
De orationibus pro Defunctis, Cap. VII. 4

SECVNDÆ PARTIS.

DE tribus Religionis Votis. Cap. I. 6
De Veſtibus. Cap. II. 7
De Menſa, atque Ieiunijs. Cap. III. 7
De recipiendis, & inſtituendis Nouitijs. Cap. IV. 8
De Studijs, & Scholaſticis. Cap. V. 11
De ſeruando ſilentio. Cap. VI. 13
De Iter habentibus, & Hoſpitio excipiendis. Cap. VII. 14
De domo egredientibus. Cap. VIII. 15

TERTIÆ PARTIS.

QVinam ex Patribus Capitulo Generali debeant intereſſe. Cap. I. 16
De modo, loco, & tempore celebrandi Capituli Generale. Cap. II. 19
De Sacerdotibus in vocalium numerum adſcribendis. Cap. III. 19
De Definitoribus, & Conſultoribus. Cap. IV. 20
De Præpoſito Generali. Cap. V. 21
De Viſitatoribus. Cap. VI. 23
De Præpoſito, & Vicario, & Vocalibus cuiuſque Domus. Cap. VII. 24
De loco, & ordine cuiuſque inter ſe. Cap. VIII. 29
De correctione delinquentium, pœniſque tùm grauioribus, tùm leuioribus. Cap. IX. 29
De propellenda ambitione. Cap. X. 32

De

Digitized by Google

De lectione Conſtitutionum , & Decretorum ex actis Capitulorum Generalium 1607. & 1653. hæc habentur.

CONſtitutiones, & Decreta quater ſaltem in anno in refectorijs noſtris recitentur, vt dum ſæpiùs ad memoriam reuocantur, ad ſedulam, accuratamque eorum obſeruantiam extimulentur noſtri. Curẽtque Prępoſiti, vt Decretum hoc omnino obſeruetur, & quatuor anni tempora ad huiuſmodi lectionem cenſeantur determinata.

Digitized by Google

PRIMA PARS
DE HIS
QVAE AD DIVINVM CVLTVM
PERTINENT.

De Ritibus, & Ceremonijs. Cap. I.

1 OFFICIVM præcipuorum ſanctorum, qui communiter in Vrbe aliqua celebrantur (quod Decreto ſacræ Congregationis Rituum edito 5. Aprilis 1628. non aduerſatur) etiam à noſtris Patribus ibi degentibus fiat. 1607

2 Singulis annis Purificationis B. Virginis die in quibuslibet noſtrarum Domorum Eccleſijs Feſtum S. Mariæ de Puritate per quàm ſolemniter perpetuò celebretur, quòd tantam Virginem ſub hoc titulo in noſtræ Congregationis Protectricem, & Patronam ſæpius delegerimus. 1647. 1653.

3 Quibus diebus ex conſtitutionũ præſcripto, aut Congregationis more ieiunatur, ijs nona vnà cum cæteris Horis, Prima nimirum, Tertia, Sexta, vti cùm ex præcepto ieiunatur recitetur. 1644

De Munditia, & nitore Eccleſiæ, & ſacræ ſupellectilis. Cap. II.

1 SAnctorum Reliquias in publicis, & communibus Eccleſiarum noſtrarum thecis, ſiuè reliquiarijs, vel quolibet alio modo ſeruatas, vel in poſterum ſeruandas, nemo vllo pacto, ne Præpoſitus quidem auferat, in fruſtra concidat, diſtrahat, imò ne fruſtulum à reconditorio ipſo, ſeu theca extrahat, ſed eas inibi, eo quo decet religionis cultu, integras, & intactas iugiter aſſeruari mandamus. 1610

2 Vetus illud noſtræ Congregationis inſtitutum ſingulis ſabbatis, ac peruigilijs ſolemnium dierum, verrẽdi noſtras Eccleſias à Patribus omnibus, & Clericis nullo prorsùs intermittatur loco; ſic vbi verò foret intermiſſum protinùs reſumatur. 1601

De Adminiſtrandis Sacramentis. Cap. III.

1586 1 Confeſſarij nullo pacto mandent, neuè præcipiant ijs,quorum
confeſſiones audiunt, vel eos quoquo modo obſtringant ſi-
bi ipſis dumtaxat, ac neutiquam alijs ſua eorum peccata
1653 confiteri. Ab eis obedientiam,etiam in rebus indifferentibus, ne
præcepto exigant.

1627 2 Solerti Scrutinio à vocalibus Domus per ſecreta ſuffragia de eo, qui
ad mulierum confeſſiones admittendus eſt,agatur: & ſi duæ voca-
lium partes alicui ſuffragatæ fuerint, litteras illius probitatis te-
ſtes, omnium, & ſingulorum vocalium nomine obſignatas, in ge-
nerali Capitulo definitoribus dabunt: à quibus, re diligentiſſimè
expenſa,ſi probabitur, illius nomen Patri Generali tradatur; qui
cum ſuis Conſultoribus,ſi poſtea à Capitulo Domus,duabus par-
tibus vocalium conſentientibus,fuerit requiſitus, facultatem pro
ſuo arbitrio illi facere poterit audiendi mulierum confeſſiones.

1607 3 Poſſint noſtrates ſuperinduti ſacco albo, vt capite damnatos ad cæle-
ſtem patriam diſponant, ſiuè ij noſtri ſint conſanguinei, ſiuè affines,
ſiuè ſua nobis peccata confeſſi fuerint, ſiuè denique magni alicuius
proceris ratio id à nobis officium expoſcere videatur.

1618 4 Vbi Clericorum ſufficiens numerus non extiterit, Præpoſitus poſſit
duos, treſuè è fratribus laicis, quos magis idoneos repererit, de-
ſignare, qui ſuperpelliceis induti,ſacro inſeruiant, & Eccleſiæ, Al-
tariumque ornatui ſtudeant. Id muneris obedientiæ loco eis de-
mandetur ad tempus, & Præpoſiti nutu amoueantur. Verùm ad
Miſſæ miniſterium non admittantur,niſi de cæremonijs,ritu noſtro
ſeruandis, fuerint inſtructi.

1618 5 Vnuſquiſque ex ſtato ritu noſtro,ac more ſacrum accuratè agat. In
& eoque nemo moram longiùs horæ ſemiſſe protrahat,neuè breuiùs
1627 triente contrahat. Qui iterum, ac tertiò à Patre Præpoſito coram
duobus teſtibus monitus breuius triente contraxerit, cum Patre
Generali agatur, quò meritam luat pænam: Simplex ſacerdos ad
confeſſiones audiendas non admittatur: Confeſſarius in vocalium
numero in proximo generali Capitulo ne adſcribatur; vocalis à
vocis ferendæ ſuffragio ad Patris Generalis arbitrium vacet: qui
verò,vt ad eiuſmodi munia minùs idoneus nō fuerit admiſſus alia
regulari pœna puniatur. Viſitatores viſitationis tempore de his
accuratè perquirant; Patrem Generalem moneant, & in generali
Capitulo ore agant.

1624 6 Sacerdotes noſtri etiam peregrè proficiſcentes,cùm in domibus no-
ſtris rem diuinam faciunt,ex earum domorum Præpoſiti mente ſa-
crificium

crificium offerant, non ſecùs ac è familia illius forent domus. Idē agant Concionatores, qui in noſtris Eccleſijs conciones in quadrageſima, vel quouis alio anni tempore habent. In Ciuitatibus verò concionantes, in quibus nulla ſunt noſtræ Congregationis Domicilia; ex Patris Generalis mente litteris ſignificata, faciant.

7 In Eccleſijs noſtris, quibus animarum cura eſt annexa, pręter ſecularem ſacerdotem diſignetur vnus è noſtris ſacerdotibus, cuius prę- cipuũ ſit munus, parochiæ rebus conſulere, ac proſpicere, vt plebs commiſſa vitam Chriſtifidelibus dignam ducat, chriſtianiſque rudimentis inſtituatur. 1621

De Regendis Monialibus. Cap. IV.

1 Nemo noſtrum Confeſſiones mulierum, quæ in Monaſterijs Monialium, ſeù in quouis alio pio in Cõgregatione viuentium loco educationis cauſa degunt, audiat, niſi antea facultate à P. N. Generali expreſsè obtenta. 1608

2 Cautum eſt, ne ſub quouis prætextu quis eſſe poſſit Cõfeſſarius Monialium ordinarius abſque expreſſa licentia Capituli Generalis: quod autem à conſtitutionibus præſcribitur, vt bis, aut ter in anno pro confeſſionibus extraordinarijs concedi poſſit: declaratum eſt, vt in Monaſterijs, in quibus Monialium multus eſt numerus, non vltrà menſem eiuſmodi confeſſiones protrahantur; ſi ſecùs fieri neceſſitas poſtulet, poſſit Præpoſitus vnà cum vocalium duabus è tribus partibus, per ſecreta ſuffragia aſſentientibus, & non aliter, eiuſmodi ſpatium ad quindecim dies ad ſummum protendere. Viſitatores diligenter inquirant de exacta huius decreti obſeruantia, deque ea in electionibus Superiorum ſpecialis reſpectus habeatur. 1638

3 Significamus cunctis decretum Eminẽtiſſimorum Dominorum Cardinalium Sacræ Congregationis Regularium, editum iuſſu felicis recordationis Sixti Papæ V. Anno Domini 1590. die 7. Maij, ne quiſquam Regularium ad Moniales accedat ad loquendum, vel cum eis quidpiam agendum, nedùm ad pænam, ſed etiam ad culpam, eamque lethalem obligare, ex declaratione eiuſdemmet Cõgregationis. 1590

4 Quocirca volumus, & mandamus, ne quiſpiam noſtrum non præcedente facultate P. Generalis in ſcriptis obtenta, & ſigillo munita, etiam de expreſſa licentia Sacræ Cardinalium Congregationis, vel Ordinarij quouis pacto, vel nomine Moniales, vel alias quaſcunque mulieres in Monaſterio commorantes, inuiſat, alloquatur, aut cum iiſdem verſetur. Neque à Monialibus litteras, aut mu- 1598 1610 1624 & 1627

Digitized by Google

nuſcula,quantumuis paucæ quantitatis, vel pretij, licet etiam deuotionis ergò, recipiat, vel ad eas mittat, aut tradat abſque expreſſa ſui Superioris licentia.

De Oratione Mentali. Cap. V.

1610 1 INter præcipua Regularis obſeruantiæ inſtituta cenſemus, vt orationi mentali omnes in Eccleſia conueniant. de qua re Viſitatores exactè inquirant, & in conferendis ordinibus, admittendis ad confeſſiones audiendas. in aſſumendis ad ius ferēdi ſuffragium, ad Præpoſiti dignitatem, & ad cætera noſtræ Congregationis munia, eius rei præcipua ratio habeatur.

1618 2 A quo decreto non excipiuntur ne ipſi quidem lectores, nec Concionatores, niſi eo die, quo concionem habuerint. Præpoſiti munus erit non aduentantes compellere, & aduocare. Si quis autem iuſta de cauſa in Eccleſia intereſſe nequiuerit, ſingulis vicibus impedimenti ratione indicata, facultatem à Præpoſito, aut non veniendi, aut abeundi, vt fit in Choro, impetrare teneatur.

De ſuſcipiendis Sacramentis. Cap. VI.

1601 1 NEmo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed ijs tantummodò noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati, non obſtante quocumque priuilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus.

1607 2 Imò neque alicui vnius domus, Confeſſario alterius domus confiteri liceat.

1618 3 Nemo ex Clericis, ſiuè ſtudijs operam nauet, ſiuè non, ad Sacerdotium admittatur, niſi poſt ſeptem, à profeſſione emiſſa, annis expletis; modò magna perſonæ alicuius ratio aliud non poſtulet, & in ea re duæ partes vocalium ex tribus eorum, qui Capitulo interſunt, conſentiant.

De Orationibus pro Defunctis. Cap. VII.

1634 1 IN Domo, in qua aliquis ex noſtris fratribus diem ſuum obierit, totum officium defunctorum ſub duplici ritu in Choro dicatur, Miſſa ſolemnis celebretur, & Sacerdos deſignetur, qui pro illius anima tricies ſacrificium faciat: cæteri verò Sacerdotes omnes, & ſinguli ter pro eo ſacrum faciant: Clerici ter Veſpertinas preces

Digitized by Google

ces Defunctorum priuatim recitent: Laici ter Coronam Beatæ Virginis dicant. In reliquis domibus, mortis nuncio accepto, quàm primùm ſinguli Sacerdotes bis pro eo ſacrificent: Clerici bis veſpertinas Defunctorum preces, laici bis Coronam Beatæ Virginis recitent.

2 In obitu cuiuſpiam è noſtris, ſi in Ciſalpinis contigerit, ſingulis eius Prouinciæ domibus ſignificetur per litteras, & Romæ tantū, à qua certiores fiant cæteræ domus vtriuſque Siciliæ. Si autem obierit quis in Regno vtriuſque Siciliæ, ab ea domo cæteræ totius Regni accipient, & Roma, à qua, & Ciſalpina Prouincia certior fiat. 1624

3 Declaratum eſt noſtram Congregationem, noſtraſque domos, ac Monaſteria, potuiſſe, ac poſſe etiam acceptare quaſcumque hæreditates, & legata, nec non annuos redditus, etiamſi annexa habeant onera perpetua Miſſarum, & diuinorum Officiorum, non ſolùm per alios, ſed etiam per nos ipſos implenda. In futurum autem non acceptentur, niſi cum expreſſa licentia P. Generalis, & Conſultorum, duabus è tribus partibus eorumdem, per ſecreta ſuffragia conſentientibus, & non aliter, prout eis videbitur in Domino expedire: Cùm noſtræ Conſtitutiones 1. par. cap. 3. ſtatuant, ea onera perpetua tantùm nullo vnquam tempore admittenda, quæ imponantur ab ædificante, aut exornante ſacellum aliquod in noſtris Eccleſijs, non autem excludant, bona, ac redditus aſſignatos pro celebratione Miſſarum, & in 2. par. cap. 15. Etſi neque per profeſſionem &c. non excludant redditus annuos ad prædictum effectum. Neque etiam paupertati, quam Congregatio profitetur, repugnet eiuſmodi redituum, & legatorum exequutio, eleemoſynas pro Miſſis celebrandis, ſiue Sacerdotibus ſecularibus, ſiue etiam Patribus noſtris erogando, vt piæ legantium voluntati, ac ei, quam erga nos profitentur, confidentiæ, fiat ſatis. 1636 1650

4 Generale verò Capitulum anni 1641. quatenus opus ſit, derogat prędictæ conſtitutioni 1 par. cap. 3. & de nouo ſtatuit, poſſe poſthàc noſtros onera Miſſarum perpetua, acceptare, & retinere, iuxta decreta Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Papæ Octaui de celebratione Miſſarum. 1641

5 Iterumque ſuptadicta decreta approbata, & quatenus opus ſit, innouata à Patribus Capituli anni 1650. 1650

6 Huiuſmodi autem onera miſſarum celebrandarum, ſi commodè fieri poteſt. & non obſtet Teſtatoris voluntas, ita deinceps acceptentur, vt per noſtros, aut alios Sacerdotes tàm Seculares, quàm Regulares, ad arbitrium Patris Præpoſiti deſignandos, & amouendos, adimpleantur. 1653

S E-

Digitized by Google

SECVNDA PARS.

DE OBSERVANTIIS QVIBVSDAM NOSTRAE CONGREGATIONIS.

De tribus Religionis Votis. *Cap. I.*

1592 1 NEMO apud ſe pecuniam habeat, vel in ſua cellula quoquo pacto retineat, etiam dè Præpoſiti ſui facultate, quam concedere nemini poſſit, ſed Patri Præpoſito, vel vni ad hoc ab eo conſtituto, quàm primùm tradat.

1610 2 Annui cenſus nobis quoad vixerimus legati, ſiue in poſterum, nobis etiam inſcijs, legandi ea lege, vt ijs domibus ſoluantur, in quibus ipſimet legatarij pro tempore degent, omninò, ſi fieri poterit, vendantur, & eorum pretium illius
1653 ſit domus, cuius nomine legatarius profeſſionem emiſerit. Si qui verò vendi nequiuerint, non ipſi legatario, ſed Superiori domus annuatim ſoluantur iuxta teſtatorum diſpoſitionem.

1650 3 Declaratum eſt, in vſufructu rei fideicommiſſæ, noſtras domus poſſe ſuccedere non minùs, ac in qualibet alia hæreditate, & legato: & quatenùs opus ſit, omnibus in contrarium derogamus.

1650 4 Licet autem bona ſtabilia, eorumque redditus ad ſacras ſupellectiles, Eccleſiaſque exornandas, nec non ad domus noſtras conſtruẽdas, habere poſſimus: tamen, cùm hæc omnia peracta fuerint, ſtatim à nobis alienari debent; vt perfectiùs noſtræ paupertatis inſtitutum excolamus.

1621 5 Ad omnem proprietatis notam, ac ſuſpicionem tollendam cautum eſt, ne quis annuos cẽſus ſibi, vel pro ſe quouis obtentu teſtamenti, donationis, profeſſionis, ac quouis alio prætextu legatos, per ſemetipſum exigat, aut ſolus ipſe, dum ſibi ſoluuntur, recipiat; ſed ſolutio ipſa fiat, vel coram Superiore, vel in eius manibus immediatè: qui ſecùs auſus fuerit, ſiquidem Vocalis ſit, ſuffragij vtriuſque, ſi ſacerdos, clericus, laicuſue, loci poteſtate per biennium ipſo facto priuetur.

1615 6 In noſtris Eccleſijs collectæ ſingularium perſonarum à Concionatoribus noſtris nullo pacto fiant, ne dum quadrageſimali tempore,

ſed

Digitized by Google

ſed nec etiam infra annum, fiant autem vbi fieri ſolent, in piorum locorum ſubſidium, quæ pia loca, ex Præpoſiti, & Vocalium domus conſenſu deſignentur.

7 Liceat noſtris ſuburbanas domos pro animi remiſſione acceptare, ne in ſecularium Villis diſtenti, quemquam grauent. 1624

De Veſtibus. Cap. II.

1 Liberum ſit cuique noſtrum, ad vehementes æſtus propulſandos, talarem tunicam ex eius generis panno tenui, quod vulgò, ſaia nuncupatur, gerere, modò id ne in pretio aut nitore emineat, atque noſtræ paupertati minimè conueniat. 1595

2 Veſtibus interioribus ex pellibus vti liceat, toracis tamen manicæ, & collaris extremitates, quæ apparent, tela alba tegantur; Tibialia verò ne ſint villoſa. 1599

3 Noſtri in itinere penula, vel feltro, quod vulgò dicunt, vel pallio ex craſſiori panno, eadem forma vtantur. 1616

De Menſa, atque Ieiunijs. Cap. III.

1 Caueant Præpoſiti, aut Vicarij domorum, ne in ipſo ſolemnis profeſſionis, aut ſacri alicuius ordinis adminiſtrationis die, à propinquis, vel ab alijs eorum nomine domi, vel extra, epulum aliquod, ſeù conuiuium quoquo pacto noſtris apparetur. 1598

2 Nemo noſtrum ad conuiuia ſecularium extra noſtras domos ſe recipiat. 1585

3 Prima expleta menſa ſignum detur ſecundæ, vt qui primæ legitimè impediti intereſſe nequiuerint, ſtatim ad ſecundam ſe conferant, & tertia non ſtruatur. 1624

4 Ad ſerotinam cænulam tres tantùm panis vnciæ, nec aliud præterea quidpiam in ieiunijs ab Eccleſia indictis, Singulis apponatur. In noſtris verò votiuis, & vltroneis ieiunijs, ſex panis vnciæ, & paruum aliquod obſonium. 1586

5 In peruigilio Beati Caietani, & Beati Andreæ cũcti ieiunent eo ritu, quo & in ſexta quauis feria totius anni ieiunamus. 1630

6 Ne communi menſæ ſacra vnquam deſit lectio, Clerici omnes, omneſque Sacerdotes ad ius ferendi ſuffragium non admiſſi, quamtumuis duodennium à Profeſſione exegerint, ſinguli ſua uigirer hebdomada legant. Quòd ſi nec dum ij quaternum numerum expleant, adſciſcantur inferiores, aut vocales, aut ad vocis ferendæ ſuffragium iam propoſiti, adeò vt in quauis domo quatuor ſal- 1618 1621 & 1627

tem

tem profeſſione poſtremi, in orbem perpetuò legant; nec cuiquã legendi immunitas fiat, niſi ijs dumtaxat, qui quadrageſimali tẽpore, ac pluries in hebdomada concionantur.

De Recipiendis, & Inſtituendis Nouitijs. Cap. IV.

1610 1627 1630 1 NOuitij in his dumtaxat domibus educantur: Neapoli in domo S.Pauli, Beatorum Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Angelorum: Capuæ, ſancti Eligij: Licij, ſanctæ Irenes: Panormi, ſancti Ioſephi: Meſſanæ, ſanctiſſimæ Annunciatæ: Romæ, ſancti Silueſtri, & ſancti Andreæ: Venetijs, ſancti Nicolai: Patauij, SS. Apoſtolorum Simonis, & Iudæ: Mediolani, ſancti Antonij: Genuę, ſancti Syri: Placentiæ, ſancti Vincentij: Cremonæ, ſancti Abbundij: Mutinæ, ſancti Vincentij: Veronæ, ſancti Nicolai: Florentiæ, ſancti Michaelis: Bononiæ ſancti Bartholomæi. Ex ijs verò Pater Generalis cum Conſultoribus nouem ad ſummum pro vniuerſa Congregatione ſeligat domos, in quibus pro re nata inſtituantur Nouitij, tres nimirum in *Regno Neapolitano*; vna in Inſula Siciliæ, Romæ altera, & quatuor in Prouincia Ciſalpina.

1610 2 Vbi ſtudia fuerint incepta (vt videlicet Nouitij à Profeſſis ſeorſum maneant, & nulla prorſus adſit ratio cum eis quicquam agendi, vel conuerſandi) quantocyus Nouitij in aliam domum tranſmittantur. In amplioribus verò domibus Logicæ ſtudium, & Nouitiatus erigi poterit.

1610 3 Si quempiam Nouitium recipi contigerit in aliquam domum, in qua non ſit Nouitiatus, ea res illicò Patri Generali ſignificetur, & quò ipſe deſignauerit, eò tranſmittant Patres.

1610 4 Viaticum, & impenſæ primarũ veſtium ab ea domo erogentur, à qua mittitur Nouitius.

1610 5 Si qua bona Nouitius, etiam nominatim legauerit illi domui, in qua profeſſionem emittit, cedant nihilominus in vtilitatem illius domus, in qua eſt receptus, ſecùs ſi nominatim alijs domibus noſtrę Congregationis legaſſet.

1610 6 Definitores in Capitulo generali deſignẽt ſacerdotes quoſdam idoneos ad educandos, moderandoſque Nouitios. Hos Pater Generalis apud ſe notatos habeat, & cum opus fuerit, eorum aliquos deligat, & Præpoſito, ac Vocalibus domus ſignificet, qui ex præſcripta in Conſtitutionibus, & Decretis Clementis VIII. ſuper educatione Nouitiorum forma, vnum eorum creent Magiſtrum Nouitiorum.

1610 7 Lectores in Magiſtros Nouitiorum ne eligantur.

1618 8 Clerici noſtri per annum ſaltem ante, vel poſt emiſſam profeſsionem

huma-

Digitized by Google

humanioribus literarum ſtudijs, Rhethorices, linguarum tum
Græcæ, tum Hebraicæ operam nauent(ſi commodè fieri poterit)
antequam ad grauiores Philoſophiæ, & ſacræ Theologiæ diſcipli-
nas admittantur. Neque hi ad Logicæ ſtudia admittantur, niſi 1644
priùs de Grammatica, & latini ſermonis intelligentia examinati,
& à Capitulo domus per ſecreta ſuffragia fuerint probati.

9 Hoſpites, & Nouitij noua veſtimenta nullo pacto deferant. 1610

10 Nemo ante quartumdecimum expletum ſuæ ætatis annum in no- 1619
ſtram Cõgregationem admittatur; ſi ſecùs fieri peculiaris aliqua
ratio poſtulauerit, id nullo pacto fiat abſque Patris Generalis fa-
cultate.

11 Vt ea,quæ de recipiendis nouitijs in noſtris Cõſtitutionibus haben- 1612
tur, faciliùs executioni mandari poſſint, ſtatuerunt Patres, vt nul-
lus impoſterum in noſtram Congregationem recipiatur,niſi priùs
à Præpoſito, & vocalibus illius domus,in qua recipiendus eſt,tria
celebrentur capitula, quæ tamen in minoris temporis ſpatio,quã
vnius menſis nullatenùs celebrentur. In illis autem celebrãdis
hoc perpetuò ſeruetur, ſcilicet, vt vbi Præpoſitus, & tres tantùm,
aut pauciores Vocales fuerint, niſi omnes & ſinguli conſentiant,
nemo recipiatur; vbi verò maior vocalium numerus adfuerit,duę
ſaltèm partes conſentiant: quæ tamen de nouitijs tantùm recipiẽ-
dis intelligantur. Quòd autem ad illos habitu induendos, vel ad
profeſſionem admittendos attinet, firmum ſit, quod in noſtris
Conſtitutionibus habetur, ſcilicet vt ad hæc omnia ſufficiat con-
ſenſus maioris partis Capituli, & vt hæc firma, atque rata ſeruari
poſſint, Patres Viſitatores viſitationis tempore diligenter inqui-
rant,an ſeruentur,& inſuper quænam ſit receptorum Nouitiorum
in moribus probitas, quæ regularis obſeruantia, ac tandem quæ
litterarum eruditio; & omnia ad Patrem Generalem deferant.

12 Qui in Regionibus extra Italiam, vel ex inibi oriundi, ſiuè pro 1644
Clericis, ſiuè pro laicis in noſtram Congregationem admitti po- 1653
ſtulauerint,ne omnino recipiãtur,niſi priùs ſe à quarto aſcenden-
tium gradu per lineam tum paternam, tùm maternam ex proba-
tis Catholicis, & antiquioribus,vt dicunt Chriſtianis, non autem
ex nouis, aut ſuſpicione aliqua contra orthodoxam fidem notatis,
deſcendere legitimè probauerint, ſi quis verò dolo, fraude,inſci-
tiaue receptus fuerit, ac etiam huiuſmodi labe fœdatus,profeſſio-
nem emiſerit, ex nunc pro tunc declarant Patres, ſe illius profeſ-
ſioni aſſentiri, minimè voluiſſe, ac in hoc caſu Præpoſiti, ac Voca-
lium iuriſdictionem, & poteſtatem omnino ſuſpendere, & prohi-
bere; ac propterà vt nulliter profeſſum eſſe à Religione protinus
eijciendum, niſi quandoque ob peculiarem, ac magni momenti
cauſam, Patri Generali, & Conſultoribus cum aliquo diſpenſan-

B dum

Digitized by Google

dum eſſe viſum fuerit. Ijs tamen antè Religionis ingreſſum, ac in ipſa habitus ſuſceptione hæc omnia ſignificentur.

1610 13 Hoſpitij cuiuslibet tempus incipiat à die, qua in domum Nouitiatus quis excipitur.

1610 14 Quotieſcumque decretum fuerit à Capitulo Domus, ne aliquis ad profeſſionem admittatur, ne liceat aliud cogi Capitulũ, quo priùs decretum abrogetur, ſed protinùs dimittatur: at ſi interim noui quicquam acciderit, ad Patrem Generalem deferatur.

1610 15 Per menſem ante profeſſionis tempus eligantur à Capitulo domus duo vocales, qui de vita, & moribus Nouitij maturè inquirant, & ad Patres, antequàm de profeſſione quicquam ſtatuatur, deferant.

1636 16 Electio Patrum Vocalium pro ſcrutinio Nouitiorum ante profeſſionem, ac etiam pro ſcrutinio Clericorum, & Laicorum bis in anno; item pro reuiſendis dati, & expenſi rationibus; electio item Scrutatorum pro Capitulis cuiuſque Domus, fiat deinceps non per ſchedulas, ſed per ſecreta ſuffragia, propoſitis antè à Præpoſito duobus, quibus ſi maior pars ſuffragata fuerit, rata ſit electio, ſin ſecus, alij, atque alij proponantur, quoad ſequatur electio: Decretis in contrarium non obſtantibus, quibus in hac parte derogatur.

1610 17 Clerici, etiam poſt profeſsionem emiſſam, vſque ad Diaconatus ordinem ſub Magiſtri nouitiorum diſciplina degant. Neque poſt
1653 Diaconatum à Præfecti cura amoueantur, niſi de conſenſu maio-
1624 ris partis vocalium per ſecreta ſuffragia, & niſi Adm. Reu. Patris
& Generalis obtineatur aſſenſus, vt fieri cõſueuimus in eoſdem pro-
1627 mouendos ad ſacros ordines. At ſi aliquis, vel aliqui quauis ratione in aliam ſe conferant domum, Præfectus, qui eorum curam geret, non ſecus ac nouitiorum Clericorum Magiſter eligatur.

1610 18 Qui ad Congregationem noſtram pro fratribus laicis admittuntur, vel iam admiſſi fuerint, non niſi quinquennio expleto noſtræ Religionis habitu induantur.

1627 19 Laici nouitij cum Clericis nouitijs ne educentur, neque verſentur, eorum Magiſter à Præpoſito, & vocalibus Domus per ſecreta ſuffragia eligatur.

1630 20 Fratres laici poſt hac illius domus profeſſi cenſeantur, in qua ſacræ Religionis habitum ſuſceperint, ac in nulla domo ad profeſſionem admittantur, niſi aſſentientibus eius domus Capituli Patribus, in qua habitum ſuſceperint.

De

Digitized by Google

De Studijs, & Scholaſticis. Cap. V.

1 STudia Philoſophiæ, ac Theologiæ in vniuerſa Congregatione in vndecim dumtaxat habeantur domicilijs. Romæ vnum, in Regno Neapolitano duo Philoſophiæ, & duo itidem Theologiæ; in Prouincia Ciſalpina totidem pro ijſdem; In Sicilia vnum pro Philoſophia, alterum pro Theologia. 1617

2 Nemo paſſim ſacræ Theologiæ lector eligatur, qui philoſophiam bis non legerit. 1610

3 Qui Philoſophiã, Theologiamuè actu profitetur, ne omnino in Quadrageſima Conciones habeat quotidianas; quod tamen intelligendum, cùm ſocium non habet. 1618

4 Ad lectiones in Scholis noſtris ſeculares admitti poſſint de Patris Generalis licentia, modò cum noſtris ne tractent. 1610

5 Theologiæ curſus ne citiùs omnino quàm quinque annorum ſpatio terminetur. In his Theologiæ, nedùm ſpeculatiuæ, verùm etiam morales tractatus à deſtinatis lectoribus perlegantur. De ijſque omnibus, ac ſingulis, qui toto eo tempore ipſis operam dederunt, examinentur, ac probentur iuxta conſtitutionum, ac Decretorum leges. Morales autem Tractatus Scholaſticis declarandi, hi ſunt. De iuſtitia & iure: De legibus: De Pœnitentia: De cenſuris. 1644

6 Tractatus omnes morales, non ſimul vltimo anno, ſed promiſcuè cũ ſpeculatiuis explicentur, non recedendo quoad fieri poteſt ab ordine, in ſumma à D. Thoma obſeruato, & niſi de omnibus Tyrones examinati, probatique fuerint, facultatem concionandi non obtineant omnino. 1653

7 Qui ſtudijs quibuslibet ſub lectore dant operam, quot annis examinentur; & aut admittantur ad ſtudia, aut à ſtudijs reijciantur, vt apti, ineptiue reperti fuerint, eo ſeruato ritu, qui in Conſtitutionibus, & Decretis de examine ſcholaſticorum præſcribitur. 1618

8 Studiorum curriculum ſit perfectè completum, ac ſub lectoris inſtituto, modo, & forma, prout in noſtris Conſtitutionibus, ac Decretis: nec ad examen quoquo pacto quiſpiam ſe exponat, vel admittatur, qui Philoſophiæ, vel Theologiæ curriculum ſub lectoris diſciplina non tranſegerit, quantumuis priuatis aliquando ſtudijs ſe exercuerit. Niſi aut euidens ægritudo, aut alia, cui obueniri nequeat, neceſſitas extorqueat, tunc enim Pater Generalis ex Conſultorum omnium ſuffragio, nemine penitus diſcrepante, facultatem faciat, vt vnum, vel ad ſummùm duos tractatus à certo Doctore extra ſcholam audiat. 1610 & 1617

1610 9 Sacræ Theologiæ examen, quoad fieri poteſt, coram Patre Generali tempore viſitationis fiat, quòd ſi præſtari nequiuerit, tres à Patre Generali deſignati examen conficiant.

1610 10 Abſente lectore tempore examinis Philoſophiæ, vel ſacræ Theologiæ Pater Generalis lectoris iudicium expectet.

1610 11 Qui ad alios examinandos fuerint conſtituti, ſciant ſe peccati vinculo obſtrictos fore, ſi quos minimè idoneos repererint, admittãt, cùm id in maximam noſtræ Congregationis iacturã vergat. Quapropter inhibemus eis,, ne argumentum, loca, ſeù illa, quæ interrogaturi ſunt, aliquo pacto ſignificent.

1610 12 Vocales Domus, & examinatores ſigillatim, ac ſeorſum ſcribant ſua ipſorum vota, ac Patri Generali tradant, vt ipſe pro ſuo libito approbandos, reprobandoſuè decernat.

1610 13 Nulla ſpecialis queſtio, aut tractatus præſcribatur ei, qui ad examen exponitur, vt procedat ad omnia paratus, & omnibus Philoſophiæ, vel Theologiæ quæſitis ſcitè, vel appoſitè reſpondere queat.

1610 14 Sciſcitentur ij, quibus examinis onus incumbit, & exquirant ſententiam de præcipuis quæſtionibus, ſcilicet in ſacra Theologia de abſolutis, de Sanctiſſima Trinitate, de Angelis, de Actibus humanis, de Gratia, de myſterio Incarnationis, ac de Sacramentis, quæ ſint propoſitiones de fide, quæue non: et illæ præſertim, quæ in concionibus ſunt magis obuiæ. In Philoſophia verò de primis principijs, de cauſis, de motu, de Elementis, de Anima, de Metaphiſica. In logica de Prædicabilibus, de Prædicamentis, de libris Perihermenias, ac Priorum, et Poſteriorum Analyticorum.

1610 15 In prima reſponſione ne ſiſtant, ſed iterum, atque iterum acriter impugnent, et exactè rem diſcutiant, vrgeantque diſcipulum argumentis, vt quantum in hiſce litteris profecerit, inde proſpici queat.

1610 16 Nemo patrocinetur ei, qui examini exponitur, non lector, non vocalis, non quiuis alius. Ipſe ſolus quæ dixerit defendat.

1610 17 Tertia ſaltem horæ pars ſit præſtitutum cuilibet examinatori tempus, modò ne cuiuſpiam ſcientia, vel inſcitia maius quid, minuſue ſpatium poſtulet.

1610 18 Qui præcipuas ſaltem Scholaſticæ Theologiæ concluſiones ignorauerit, vel effata, ſeu axiomata Theologica, vel Philoſophica, prima noſtræ fidei fundamenta, ac myſteria in promptu non habuerit, vel explicare nequiuerit, propoſitiones hæreticas à Catholicis non diſcreuerit, nullo pacto admittatur. At ſi vnius, vel alterius tractatus ſe inſcium monſtrauerit, omnia ad vnguem ad Patrem Generalem deferantur, vt ipſe quid opus ſit facto decernat.

nat, & mandet; ſit ne prorſus reijciendus, vel fortè iterum ad tempus, ad ſtudia adſciſcendus. Qui verò ſemel examinatus, prorſuſque reprobatus fuerit, is non poterit iterum examinari.

19 Qui per annum ſaltem ſacræ ſtuduerint Theologię, quamuis ampliùs Theologicis ſtudijs operam nauare nequiuerint, ad ſermones in priuatis tantùm Oratorijs, etiam Monialium poterunt admitti, nunquam tamen publicè in eccleſijs, & præcipuè diebus feſtiuis ſermocinari permittantur. Omneſque licentię contra prædicta ex nunc intelligantur ſuſpenſæ, atque ſublatæ. 1653

20 Præpoſitus domus, & vocales eum, qui ad examen Logicæ, vel Philoſophiæ exponitur, interrogent, modò velint, præcipuum tamen onus erit illorum duorum, qui à Patre Generali fuerint deſignati. 1610

21 In qualibet noſtrarum domorum tres, vel ſaltem duæ in hebdomada lectiones, ſeu exercitationes de Caſibus conſcientiæ habeantur: ſedulò tamen curent Præpoſiti, vt omnes, & ſinguli Confeſſarij, cæterique Sacerdotes, ac quos è Clericis voluerint, aſſiduè interſint. 1610

22 Nemo noſtrum ex publicis domorum noſtrarum bibliothecis librum aliquem alicui ſeculari, vel etiam noſtris ipſis alibi commorantibus, commodet, dono det: per ſe, vel per alium aliò transferat, ſeu facultatem transferendi faciat; Præpoſito verò domus ſit facultas libros commodandi, etiam ſecularibus, modò ne commodati prætextu, libri de loco in locum transferantur. 1610

De ſeruando ſilentio. Cap. VI.

1 IN Cellam alterius nemo intret extra infirmitatis tempus, etiam ſi conſanguineus, vel quouis alio gradu coniunctus, vel ex alia eiuſdem Vrbis domo foret. In cellam verò eius, qui Dominicis, & feſtis diebus per annum conciones habet, ſolus is, qui ſuo addictus eſt miniſterio ingrediatur: in eius autem, qui ſacris quadrageſimalibus diebus prædicat, ſilentij tempore nemo intret. 1601

De

De Iter habentibus, & Hoſpitio excipiendis; Cap. VII.

1610 1 QVi ad aliam domum ſe confert, ſiue vt aliò ſe transferat, ſiue negotiationis alicuius cauſa, Præpoſito eius domus ſubſit, non ſecus, ac ſi in aſſignata ſibi domo eſſet.

1610 2 Præpoſito, vel eo abſente Vicario, ſeu cuipiam alio, cui onus regendæ domus erit, pecunias quaſcumque, & à quocumque quouis nomine habet, illico præbeat, nec cubitum quidem eat, antequã id præſtet.

1610 3 Præpoſitus domus, à qua diſcedit quiſpiam, ſignificet Præpoſito alterius domus, ad quam ille ſe transfert, pecuniæ quantitatem, quam ille ſecum defert, qui poſtmodùm priorem Præpoſitum de allata pecuniæ quantitate certiorem faciet.

1610 4 Qui alienam domum, vel obiter adierit, vel negociorum cauſa, aut quauis alia ratione eò ſe tranſtulerit, pecuniam, ſiuè à propinquis, ſiuè ab alijs quibuſuis habitam, aut quocumque alio pacto, vel nomine ſibi comparatam in rem nullam impendat abſque facultate Præpoſiti domus, in qua moratur, qui neque ei poteſtatem faciet abſque proprij ſui Præpoſiti ratihabitione, ſeù interpretatiuo conſenſu, idque in re nata, præſentanea, & quæ præuideri nequibat, alioquin abſque expreſſa ſui Præpoſiti facultate ne permittat. Si quid ſecùs à quoquam factum fuerit, ad Patrem Generalem deferatur, qui eum grauiter puniet.

1610 5 Cum longiora hoſpitia in Regularis diſciplinæ diſpendium vergant, nemo longiùs trium dierum ſpatio in aliqua extera domo moram protrahat, neque Præpoſiti ipſi tempus ampliùs prorogare queãt, niſi ſolus Pater Generalis. At ſi Tabellarij diſceſſus expectaretur, vt Neapoli ſolùm contingere poteſt; aut in maritima ciuitate opportunum tempus, vt per mare aduehi poſſit, tunc prorogetur mora pro rei neceſſitate. Hæc tamen locum non habent in Vrbe Roma præſente Patre Generale, qui pro ſuo libito poteſt detinere, aut illico dimittere noſtrates.

1610 6 Quiſquis è noſtratibus (exceptis tantummodò Præpoſitis, & Conſultoribus) pro re quapiam aliò ſe confert, rem Præpoſito domus, in qua demorabitur aperiat, qui prout neceſſitas tulerit, ipſeque adiudicauerit, ſocium ei deſignabit, tempuſque morandi, redeundiue præſcribet, ne longiùs quàm opus ſit prorogetur. Interim die, noctuque ſtatis horis in Choro erit, & communia noſtræ Congregationis onera libenter, & aſſiduè cum alijs ferat, non ſecus, ac ſi in ſibi aſſignata domo foret. Quòd ſi in aliquã profi-

Digitized by Google

proficiſceretur ciuitatem, in qua duæ, vel tres forent noſtræ domus, tunc ad aſſignatam ſibi à Præpoſito eat, & in alia non pernoctet, aut comedat, niſi de eius licentia.

7 Cum quis ab vna domo diſcedit, Præpoſitus videat, quæ ſecum ferat, tùm veſtium, tùm librorum, & in ſchedula ſcribat, cuius exemplar ad Præpoſitum, ad quem pergit, dirigat.

De Domo egredientibus. Cap. VIII.

1 FRatres laici extra domum abſque ſocio ne mittantur, niſi ad 1610
familiaria negocia obeunda. Nec ſolos egredi permittatur, 1644
cùm ipſi egredi licentiam petunt. 1653

Digitized by Google

TERTIA PARS
DE RELIGIONIS VNIVERSAE ADMINISRTATIONE.

Quinam ex Patribus Capitulo Generali debeant intereſſe. Cap. I.

1611 1 ELectio vocalis Capitulo Generali interfuturi duorum dumtaxat dierum ſpatio fiat, ſecunda verò peracta die, de electione ampliùs non agatur.

1607 2 Ad vocalem in ſingulis domibus pro Generali Capitulo eligendum vocales cæteri nedum conueniant, ac nemo ſe excuſet, aut ſubtrahat, verùm etiam electioni de ſe iam factæ quiſque aſſentiri teneatur.

1607 3 Qui ſua ſpõtè electioni huiuſmodi intereſſe noluerit, actiuo, et paſſiuo priuetur ſuffragio. Secus de eo, quem ob publicam Religionis cauſam, ac de ſuperiorum licentia abeſſe contigerit.

1610 4 Huius autem decreti conſtitutione, ea mens Patrum fuit, vt pro ea vice dumtaxat, qua non interfuerit, ſeù pro tempore, quo ſe ab electione quis ſubtraxerit, actiuo, et paſſiuo priuetur ſuffragio; et ſi tunc fiat electio, ſit Canonica, firma, et rata. At ſi is qui ab electione ſe ſubtraxerat, voluerit denuo (modò ne fuerit peracta electio, nec expletus præſtitutus electioni terminus) cum cæteris conuenire, ſit ei omnino libera facultas conueniendi, et ad
1650 vtrumque ſuffragium idoneus cenſeatur. Caſu, quo omnes Vocales (vno excepto) in aliqua domo ſuo ſe iure abdicarent, is, qui ſolus remanet, habeat ius accedendi.

1607 5 Qui alba ſchedula in electione vocalis vtetur, ne dum actiuo, et paſſiuo ſuffragio in ea electione careat, verùm etiam poſtmodum per triennium ipſo facto abſque vlla declarationis ſententia à iure ferendi ſuffragium cadat, nec in priſtinum ſuffragij ius reſtitutus intelligatur, niſi poſt aliud Capitulum Generale.

1607 6 Si fortè reperiatur aliquando à ſcrutatoribus alba ſchedula in electione vocalis, ille erit electus, in quem maior conſenſerit numerus eligentium (nempè Vocalium, qui in dicto Capitulo pro electione interfuerunt) numerato (nimirùm inter vocales ſupradictos) etiam eo, qui alba ſchedula vſus fuerit.

Digitized by Google

7 Si qua in domo, vbi tres tantùm vocales extant, vnus actiuæ ſolùm, 1610
& reliqui duo actiuæ, & paſſiuæ vocis, fiat electio alterius ex duobus in vocalem Capituli Generalis, ſit & habeatur firma, rata, & Canonica: ac taliter electo ius veniendi ad Capitulum generale legitimè competat.

8 At ſi vnus ex duobus actiuæ, & paſſiuæ vocis electionis tempore ſe ab 1610
electione ſubtraxerit, electio, quæ fiet ab illo, qui actiuæ tantùm vocis ſuffragium habet, erit firma, rata, & canonica.

9 Vt certa ſit vocalis ad Capitulum Generale interfuturi electio: ſi per 1627
tres vices, ſecretis datis ſchedulis nemo fuerit electus; in quarto ſchedularum ſcrutinio, niſi in eo contingat electio, duo è ſcrutatoribus declarent, quibus plures numero vocales fuerint ſuffragati, quòd ſi in quarto ſcrutinio tres, aut quatuor paria ſuffragia habuiſſe comperiantur; duos profeſſione ex eis ſeniores, palàm denuncient ſcrutatores: & horum alter per ſecreta poſtea eligatur ſuffragia, quæ ſi fortè paria fuerint, antiquior profeſſione electus cenſeatur. In qua domo tres tantùm vocales reperiri contigerit, 1655
& in quinto ſcrutinio ipſorum nemo fuerit electus, profeſſione antiquior ex ipſis ad Capitulum accedat. Si verò fuerint quatuor, & canonica in quinto ſcrutinio non habeatur electio, ille erit cenſendus electus, licet iunior, cui duo ſaltem ſuffragati fuerint, attamen in paritate ſuffragiorum ſenior ad Capitulum ius accedendi habeat.

10 In vocalis Capituli Generalis electione, nemo actiuam, neque paſ- 1627
ſiuam vocem habeat, qui ſaltem à tempore, quo tertio Præpoſiti, ac Viſitatores refecti renunciantur, in ea ipſa domo aſſignatus nõ fuerit, quòd ſi eo tempore quiſpiam aſſignandus foret vocalis, id fiat à Patre Generali, & Conſultoribus per ſecreta ſuffragia nemine diſcrepante.

11 Vt autem in eiuſmodi electione rectè quiſque, & ex canonum præ- 1627
ſcripto ſe gerat, antequam fiat electio recitentur tùm Conſtitutiones, & decreta noſtræ Congregationis; tùm etiam Clemẽtis VIII. de Reformatione nu. 15. Vt omnis &c. & nu. 36. in ſuperiorum &c. Declaratur præterea in dicta electione primas partes non ad pro- 1641
feſſione ſeniorem, ſed ad Vicarium Domus pertinere, ipſumque ordinare acta, & quæ ritè agenda ſunt proponere debere.

12 Si qua orta fuerit dubitatio, vel difficultas in electione Vocalis pro 1610
Capitulo Generali, quòd ſcilicet non iurè, vel ritè, ſeu ex legum noſtrarum præſcripto, ſeu alio quouis pacto, iuſtè, vel iniuſtè quiſpiam fuerit electus; in libera ſit cuiuslibet facultate infra decem dumtaxat, à die factæ electionis dies, cauſam ad Patrem Generalem, & Conſultores deferre, qui re ſummariè, & de plano, vt dicitur, abſque iudiciali forma, cognita, pro eorum arbitratu ſen-

C tentiam

tentiam dicant, quidue agendum ſit decernant. Sententia verò lata, ſublata ſit quæuis prorſus ad Generale Capitulum appellãdi facultas.

1615 13 Nullus electorum in quauis electione, tùm in Capitulis generalibus, tùm etiam in localibus directè, vel indirectè de ea paciſcatur, aut ſchedulas cuiuis alteri ante, vel poſt oſtẽdat, tradat, aut à quoquam recipiat. Nemo minis, vel promiſſis electioni Vocalis Capitulo Generali interfuturi, ſe immiſceat.

1621 & 1624 14 Antequam ad quamuis electionem in Capitulo Generali per ſecreta ſuffragia, vel in priuatis domibus ad Vocalem eligendum Capitulo Generali interfuturum, deueniatur, ſinguli Vocales in manibus Præſidis, aut Patris Generalis in Capitulo Generali, vel Præpoſiti in ſuis domicilijs iurent ex præſcripta forma, ſe nimirum minimè non modò ante, verùm nec poſt ipſam electionem, nec directè, nec indirectè, ſeu quouis alio pacto ſchedulam oſtenſuros, vel ſecretum ſuffragium enunciaturos, quo ſignificent cui ſuffragati, vel refragati fuerint.

1624 1627 & 1630 15 Ne incommodum aliquod ex electionis commodo, Vocalis Capitulo Generali interfuturi oriatur, interdicitur tractatus omnis electionis, vno illo dumtaxat excepto, qui iurè in ipſo electionis tẽpore legitimus ex Canonum præſcripto cẽſetur, item colloquium quodcumque, etiam poſt electionem, litteræ, verba, nutus, palàm, occultè, mediatè, immediatè, directè, indirectè, vel quauis alia fratribus noſtris quibuſcumque etiam laicis, immo cum ipſo etiã Patre Generali, ſiuè cum ſecularibus cuiuſuis conditionis. Qui ſecus fecerit arbitrio Patris Generalis puniatur.

16 Si contingat plures adeſſe Vocales inter ſe primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu coniunctos, omnes accedant ad Capitulum Generale, duo tamen dumtaxat ſeniores ferant ſuffragium, cæteri iuniores, quamuis ſuffragium minimè ferant, interſint nihilominùs Capitulo, idque etiam ſi iuniores fuerint in dignitate conſtituti, modò aliquis iuniorum non foret Præpoſitus Generalis, aut Generalis Capituli Præſes. Quòd etiam ſeruetur in Capitulis cuiuſcumque domus.

1653 17 Conſanguinei tùm in primo, tùm in ſecundo gradu, abſint à Capitulis, ſiuè generalibus, ſiuè particularibus cùm illorum res agitur, ac peracto ſcrutinio, ad ſuffragium ferendum admittantur.

De

De modo, loco, & tempore celebrandi Capitulum Generale. Cap. II.

1 PAtre Generali poſt muneris abdicationem extra Capitulum egreſſo, Patres omnes, quo libera ſit cuique dicendi facultas, iureiurando ſe obſtringant perpetuo ſilentio ſeruaturos, quæ à quoquam contra Patrem Generalem dicta fuerint. Idque etiam ſeruetur, ſi quicquam contra Conſultores dicendum contigerit. 1607

De Sacerdotibus in Vocalium numerum adſcribendis. Cap. III.

1 SAcerdos, qui ſuffragatorio ſcrutinio Capituli Generalis num in Vocalium albo ſit adſcribendus, minimè ſubeſſe voluerit: Id per Procuratorem, idoneis teſtibus adhibitis, & in ſcriptis, Capitulo Generali ſignificet. 1630

2 Qui lectionibus Philoſophiæ, & ſacræ Theologiæ, aut caſuum conſcientiæ ſub conſtituto Præceptore iuxta decretum anni 1653. non interfuerit, ac de ijs à Patre Generali deſignatis, examinatus, & per ſecreta ſuffragia approbatus non fuerit, nullo pacto in Vocalium numerum adſcribatur. Qui caſibus conſcientiæ dederunt operam coram Adm. R. P. Generali, aut Viſitatoribus viſitationis tempore à duobus, vel tribus Patribus, quorum conſcientia ſuper hoc oneratur, examinentur, ac per ſecreta ſuffragia probentur, qui examinatus, probatuſque non fuerit, ne vocalis creetur: 1621 1644

3 Cùm in anguſtioribus noſtræ Congregationis Domibus Sacerdotũ, ac adminiſtrorum inopia multùm Dei cultui, regularique obſeruantiæ detrahat, cautum eſt, vt ſi qui ex Sacerdotibus non dum inter vocales adſciti ad huiuſmodi Domos per triennium ſe conferre, ac ſæcularium, vel noſtrorum fauore, & patrocinio patentes litteras exequi detrectauerint: vel quoquo pacto, & prætextu ſe ſe excuſauerint, eos Pater Generalis, & Patres Conſultores accuratè notent, & in Capitulo Generali nullo pacto in Vocalium numerum adſcribantur. 1648

4 Arctiſſimum illud iuſiurandum in generali Capitulo præſtari ſolitũ, de perpetuo ſilentio eorum, quæ de Sacerdotibus in Vocalium numerum adſcribendis in illorum ſcrutinio dicuntur, ſit, atque præſtetur, nedum iuxta præſcriptam formam Conſtitutionum noſtrarum, ſed etiam iuxta formam decretorum in Capitulis Generalibus anno 1595. & 1601. quam, & tactis Sacroſanctis Chriſti Euã- 1610

gelijs, omnes, & ſinguli generalis Capituli Patres ſeruaturos ſe obſtrinxere : ac etiam Patres poſtmodum in futuris Capitulis ad ipſum obſeruandum decreuere. Forma autem decreti anni 1595. hæc eſt : Iureiurando ſe obſtringant Patres Capituli Generalis iuxta communem ſenſum Capituli, & ſub omni clauſula, quæ exprimi, vel declarari poſſet, omni etiam, & quacumque amphibologia, aut vafritia ſublata; neminem eorum ijs, qui ne dum Capitulo non interfuere, aliquo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, ſeu quouis alio amicitiæ vinculo obſtrictis, ſe quicquam dicturos vmquam, vel quoquo pacto ſignificaturos directè, vel indirectè eorum, quæ de huiuſmodi vocalium negocio, ſiuè bonum, ſiuè malum, vel mutuò inter ſe collocutos eſſe, vel à Collegis verbo, vel ſcripto percepiſſe intigerit.

1601 & 1624 5 Quam iuſiurandi formam poſtmodum non ſolùm confirmarunt Patres Capituli Generalis anno 1601. Sed ſtatuerunt inſuper, nemini vnquam licere, neque verbo, neque ſcripto, ſeu quouis alio pacto directè, vel indirectè ante præſtitutum duorum menſium tempus aperire, ſignificare, vel inſinuare alicui, nec etiam ipſi promoto, eos qui ad ius ferendi ſuffragij fuere in Capitulo electi, vel non electi, ſed peracto ſecundo poſt generalis Capituli celebrationem menſe, qui à die concluſionis, ſeu dimiſionis Capituli numeratur, Præpoſiti domorum id aperiant, alijſque ſignificent.

De Definitoribus, & Conſultoribus. Cap. IV.

1653 1 AVctoritas primi Conſultoris poſt mortem, ſeu muneris abdicationem Patris Generalis, non alia cenſenda eſt, quàm vt ea omnia poſſit cum cæteris Conſultoribus peragere, quæ P. Generali cum ipſis facere licitum erat, Vicarij Generalis, ſiuè Generalis Vicemgerentis titulo penitus ſublato.

1607 2 Qui duobus ſibi inuicem ſuccedentibus Capitulis Generalibus Definitor fuerit, in tertio proximè ſequenti Capitulo Definitor ne eligatur.

1615 3 Patres à Capitulo Generali in Conſultores electi ſi de corpore ſint Capituli, ipſo facto intelligantur, & in octo definitorum numero adſcripti : ſin verò ſecus, & Romæ adſint, poſſint quidem Definitorio intereſſe, ſuffragia tamen haud ferant, eodemque ac Definitores ſint ſecreto iureiurando adſcripti.

1601 & 1624 4 In Definitorij ſcrutinio probati, tùm ad Vicarij munus obeundum ; tùm ad excipiendas confeſſiones mulierum, monialium, aut quocumque modo ſeorſim à ſecularibus vnà degentium, deſcribantur, nec alius quiſpiā à deſignatis dignis ad id munus poſtea eligatur.

5 Vt

5 Vt præter alia incommoda, quæ oriri poſſunt, omnis turbandæ pacis 1633
nedum occaſio, ſed & ſuſpicio in poſterum præcidatur: Præpoſiti, ac Viſitatores Domorum Galliæ Ciſalpinæ ex ijs aſſumantur promiſcuè, qui ſint eius regionis comprouinciales. Quod ſi quempiã è Regnis vtriuſque Siciliæ in Præpoſitum, ac Viſitatorem in Ciſalpinis creari neceſſitas, aut ratio magni momenti exquirat, tunc alius è Gallia Ciſalpina oriundus Præpoſitus alicuius domus, aut Viſitator alicuius Prouinciæ in Regnis vtriuſque Siciliæ conſtituatur, & è conuersò. Talis autem Domus electio, ſicut & Viſitatoris, fiat ad æqualitatem à Patre Generali & Definitoribus in Capitulo Generali, & à Patre Generali, & Conſultoribus inter triennium nemine Definitorum, ſeu Conſultorum diſcrepante per ſecreta ſuffragia. Perſonæ tamen in Præpoſitos eiuſmodi, & Viſitatores eligendæ, creentur maiori parte tantùm ſuffragiorum concurrẽte, vt moris eſt. Decreti huius confirmatio impetretur à Sede Apoſtolica.

6 Præter Præpoſitos, ac Viſitatores eligatur etiam in poſterum à Defi- 1647
nitoribus per ſecreta ſuffragia Procurator Generalis, qui Romæ reſideat, & publica Congregationis negotia curet, dependenter tamen in omnibus ab A. R. P. Generali. Is creetur ad annum, reficiatur autem quotannis, ſi P. Generali, & Conſultoribus viſum fuerit vſque ad annum tertium. Elapſo anno tertio amplius non confirmetur, ſed alius ſubrogetur. Eligatur autem alternis vicibus, ſemel oriundus ex vtriuſque Siciliæ Regnis, ſemel ex alijs locis extra huiuſmodi Regna, & viciſſim vnus alteri ſuccedat. Hoc tamen ordine ſeruato, quòd, cum P. Generalis eſt oriundus ex vtriuſque Siciliæ Regnis, tũc extra huiuſmodi Regna eligatur, & è contra. Is Capitulum Generale ingrediatur, & ſuffragium, ſicuti cæteri Patres, ferat. Elapſo tertio anno poterit eligi per triennium tantùm Præpoſitus, aut Conſultor, aut Viſitator; poſtea neceſſariò per triennium vacet, ſicuti per noſtra decreta neceſſariò vacant alij Superiores.

De Præpoſito Generali. *Cap. V.*

1 Pater Generalis alternis vicibus eligatur, ſemel oriundus ex 1624
vtriuſque Siciliæ Regnis; ſemel ex alijs locis extra eiuſmodi &
Regna, & viciſſim vnus alteri ſuccedat. Is per triennium dũ- 1630
taxat creetur.

2 Sancitum præterea, vt Generale Capitulum ſtatim à morte Patris 1641
Generalis cogatur; etiamſi non ita pridem, vel paulò ante abſo-

lutum

lutum alterum Generale Capitulum fuerit. Generalis verò ex ea parte eligatur, cui contingeret, ſi defunctus P. Generalis integrũ triennium expleuiſſet. Quòd ſi ante Domorum Sancti Siluestri, & S. Andreæ Viſitationem P. Generalis ſupremum diem clauſerit, Patres Conſultores duos è præfatis Domibus Patres eligant, vnũ è Gallia Ciſalpina, alterum è Prouincia vtriuſque Siciliæ, qui ſecundùm Apoſtolicarum litterarũ Sanctiſſimi D. N. Vrbani Papæ Octaui præſcriptum prædictas Domos viſitent; quo defuncti munere, viſitationem Conſultoribus quamprimùm tradant.

1647 3 Qui fuit, vel fuerit in poſterum Præpoſitus Generalis, abdicato ſuo munere, non ad profeſſionis locum redeat, ſed ante Vicarium immediatè poſt Præpoſitum ſuæ domus, & poſt Præpoſitos omnes
1651 Conſultores, necnon Viſitatores viſitationis tẽpore ſedeat, quodſi & ipſe Præpoſitus ſit, poſt Præpoſitum domus, in qua fuerit, cum alijs verò profeſſionis ordinem ſeruet. Socius etiam laicus, qui ei, vbi opus fuerit, adminiſtret, deſignetur.

1613 4 Qui Præpoſitus generalis fuerit creatus, illico antequam ei obedientia præſtetur iureiurando ſe obſtringat, non modò non ambiendi Eccleſiaſticas dignitates extra Congregationem, nec per ſe, nec per alios, non directè, nec indirectè, non clam, nec palam: verùm etiam illas ne vltrò quidem oblatas, niſi ex præcepto Sanctiſſimi ſe
1647 recepturum. Idque duret ſolùm Generalatus tempore, nimitum per triennium. Elapſo triennio non ampliùs obſtringat.

1615 5 Nullibi deinceps locorum domus erigantur alẽdis viginti ex noſtris minimè idoneæ.

1615 6 Lucubrationes quæcumque noſtrorum non niſi de Patris Generalis auctoritate, cum conſenſu Patrum Conſultorum in lucem edantur.

1653 7 Deputentur igitur ab Adm. R. Patre Generali, & Cõſultoribus ſex in quacunque Prouincia Patres eximia doctrina præditi, atque prudentia, ex quibus quorumcumque librorum imprimendorum duobus ſaltem committatur accurata reuiſio. Libri in quibus de materijs grauioribus pertractatur ad ipſius Patris Generalis, & Conſultorum nutum Romæ, à Patribus ad id deſignatis maiori diligentia perſcrutentur. Contrauenientes verò actiuo, atque paſſiuo ſuffragio, etiam quoad electionem ad Capitulum Generale interueniendi, per triennium irremiſibiliter priuẽtur: ſi verò vocalis non fuerit ad vocis ferendæ ſuffragium prima vice in Generali Capitulo non proponatur.

1615 8 Præpoſitus Generalis eos, qui ſua dicendi virtute vberes animarum fructus relaturos cenſet, quamuis ex infirmitate cibis quadrageſimali ieiunio vetitis veſcantur, poterit facultate præſtita, ad prędicandum mittere.

9 Et

9 Et ſi in nonnullis Pater Generalis Conſultorum conſenſum habere 1618
ex conſtitutionum præſcripto non cogitur, in hoc tamen Patres exoptant, vt conſenſum non modò conſilium exigat: Nempe in Nouitijs ante profeſſionem emiſſam admittendis ad ſtudia Logicæ, Philoſophiæ, aut ſacræ tum ſcholaſticæ, tum moralis Theologiæ.

10 Tres ſaltem Conſultores perpetuò Romæ degant, ſiuè adſit Pater 1618
Generalis ſiuè non, & ex quatuor non niſi vnus ad prædicandum mitti poſsit. Si contingat quod aliquis Præpoſitus tertio à Capitulo Generali anno, vel expleto ſexennio vacet, vel Præpoſitus 1639
non reficiatur: Pater Generalis poſſit ſe ſolo eum, cui maluerit Domui aſſignare, ſemel tamen & intra terminum duorum menſiũ à die, quo vacauit, vel non fuit confirmatus.

11 Demortuo eo, contra quem libellus accuſationis, ſeu proceſſus ex- 1592
tabat, Pater Generalis re cum Conſultoribus facta, comburi protinus mandet, modò ad defuncti perſonam dumtaxat ſpectare cõſtiterit: quod ſi eſſent & criminis complices iam ſuperſtites, vel alij, ad quos aliquo modo res pertineret, numquam igni tradatur, niſi iſtorum omnium morte ſecuta.

12 Poteſtas ſit pænes Patrem Generalem remittendi, vel omnino rela- 1610
xandi pænas, vel à ſe ſolo, vel etiam vnà cum Conſultoribus, non tamen à Generali Capitulo alicui irrogatas.

13 Pater Generalis pro ſuo libito poteſtatem faciat Apoſtatis quam- 1610
cumque aliam ingrediendi Religionem.

14 Nemini noſtrum liceat ab ea die, qua compendiũ noſtrorum priui- 1610
legiorum noſtra auctoritate collectum, varijſque notis auctum typis mandatum fuerit, priuilegio aliquo ibi non contento vti, abſque Patris noſtri Generalis expreſſa voluntate.

De Viſitatoribus: Cap. VI.

1 DVo Viſitatores eligantur, qui in domibus noſtris tàm ere- 1610
ctis, quàm erigendis in Inſula Siciliæ munus viſitationis &
exerceant: item duo alij, præter duos iam in Conſtitutio- 1630
nibus deſignatos, in Lombardiæ Prouincia, cumulatiùs iam aucto domorum numero: qui omnes ad Capitulum Generale accedant.

2 Delatorum, vel Teſtium nomina nullo modo referentur, vel reuelẽtur. De fide eorum, & auctoritate Viſitatores accuratè cognoſcant, quibus, ſi videbitur, pro temporis opportunitate facultas eſto aperiendi reo, quæ ei opponuntur: ea tamen arte, vt crimen, non criminis delator, vel Teſtis aperiatur, ſiuè innoteſcat.

3 Te-

1584 3 Teſtatum ſit accuſatoribus omnibus ſe talionis pœnam daturos, ſi quid falsò alicui obiecisse fuerit depræhenſum.

1578 4 Nulla fides adhibeatur literis, quæ viſitationis tempore, vel Capituli Generalis ſine actoris ſubſcriptione fuerint allatæ, nec vlla de his ratio habeatur.

1607 5 Viſitatores quamuis viſitationis tempore à caſibus Præpoſito reſeruatis facultatem abſoluendi habeant: hanc tamen nemini ipſos impertiri poſſe decernimus.

1610 6 Viſitatores antequam è domibus diſcedant, viſitatione peracta, publicè ſignificent, omnibuſque aperiant, quæ pro regulari obſeruātia iuſſerint facienda.

1641 7 Decretum eſt, Viſitatoribus cum cæteris Vocalibus eius Domus, quam actu viſitant, in Capitulum conueniendi, ac ſuffragium ferendi ius nullum eſſe, nec etiam viſitationis tempore: modò non ſint è vocalibus in illa Domo aſſignatis.

1641 8 Exceptis caſibus, qui habentur tertia parte noſtrarum Conſtitutionum cap. 8. §. ſi viſitanda ſit. Si quando alter è Viſitatoribus legitimè impeditus viſitationis munus obire nequiuerit, Pater Generalis, vel eo abſente, Patres Conſultores ſocium alteri Viſitatori tribuendi ius habeant; modò, liceat per tempus, Patrem Generalem, vel Conſultores certiores fieri, alioquin Viſitator ex eadē Domo, quam viſitat, ipſe ſibi ſocium deligat.

De Præpoſito, Vicario, & Vocalibus cuiuſque Domus.
Cap. VII.

1583 1 IN eadem Ciuitate vbi plures ſunt noſtrorum domus, duo ne creentur Præpoſiti primo, vel ſecundo gradu inuicem coniuncti.

1607 2 Præpoſitus alicuius domus, ſi fuerit creatus Præpoſitus alterius, in priſtina domo Præpoſiti munus exercere valeat, quouſque alius adueniat.

1627 3 Vltra ſexennium nemo Præpoſiti, Viſitatoris, Conſultoriſue munus exerceat. A ſexennio per triēnium vacet: ac quauis ratione, eiuſmodi munere, etiam poſt quatriennium abdicato, non niſi poſt triennium refici poterit.

1612 4 Qui alicuius domus Præpoſitus electus fuerit, etiam ſi in illa domo per ſex, vel pauciores mēſes vnius anni, Præpoſiti munere functus fuerit, tamen non niſi per duos alios annos in eadem domo immediatè refici poteſt.

5 Præpoſitus nominatus, vel præſentatus Epiſcopus, octo dierum ſpatio animum aperiat, num aſſentiatur nominationi, ſin ſecus, elapſo ſpatio, à Præpoſiti munere ipſo facto cadat, cùm ita Patres ſe eum in Præpoſitum elegiſſe intendant. 1615

6 Superiores domorum noſtrarum nequeūt vllo pacto Epiſcopis e noſtra Congregatione aſſumptis facultatem facere aſportandi ſecum libros, cùm ea facultas ad Generale Capitulum dumtaxat ſpectet. 1615

7 Præpoſiti domorum ante præſtitum tempus ne petant, neue exigant legata, & eleemoſynas, niſi priùs ad Patrem Generalem, & Conſultores rem ſignificauerint, ab iiſque acceperint quid ſibi facto opus ſit. 1598

8 Quotannis Præpoſiti ſub quadrageſimæ initium rationes accepti, & expenſi ſuæ domus, à Vocalibus ſubſcriptas, Romam ad Patrem Generalem tranſmittant. Qui æs alienum contraxerit abſque vocalium aſſenſu, præter victus, veſtitus, ac alicuius reſtaurationis neceſſitatem, Præpoſitus eo anno minimè reficiatur. 1625

9 Vrgente neceſſitate, vel ob publicum (quod abſit) ſcandalum, poſſit Præpoſitus tranſmittere aliquem è ſuis in proximiorem domum, de conſenſu tamen eius Præpoſiti, à quo loco depoſiti tantùm habeatur. 1607

10 Vt ſuus cuique reddatur honor, Generalis, ac Præſidens ab omnibus: Præpoſiti verò à ſuis dumtaxat ſubditis Paternitatis titulo honeſtentur. Cæteri autē Sacerdotes vbique Reuerentiæ tantùm titulo. Coram Patre Generali nullus Paternitatis nomine appelletur. Cùm autem ad fratres laicos dantur litteræ, inſcribantur huiuſmodi Chariſſimo in Chriſto fratri: ſubſcribantur verò: Caritatis veſtræ. 1598 1644

11 Ordinationes à Patre Generali, ſeu à quolibet alio Præpoſito in ſua domo factæ, indictæue, in ſuo robore permaneant, & vnuſquiſque eas accuratè ſeruet, etiam ſi ad Generale Capitulum illi ſe contulerint, munuſque ſuum abdicauerint, quouſque à Generali Capitulo, vel à ſucceſſore ſpeciatim abrogentur. 1610

12 Declaramus nomine ordinationū, non venire præcepta, ſiue excommunicationum ſententiæ; ne præceptorum, & cenſurarum multiplicitate, ac perennitate ſubditorum conſcientiæ plùs æquo grauentur. 1653

13 Eligant Præpoſiti in qualibet domo vnum, cui committant negocia omnia, tum propriæ domus, tum exterarum, ſeu quocumque ex loco delegata. Cæterorum verò nemo ſe eis immiſceat, vel implicet, quamuis ſibi nominatim aliquid mandatum foret. 1610

14 Nullus Viſitator in Vicarium eligatur, nec qui noſtræ Congregationis onera minimè ſuſtinet. Singulis annis à Præpoſito domus deſignetur, & à Patre Generali creetur. Vltra triennium in domo ea- 1607

dem ne prorogetur.Abſente,vel mortuo,aut muneri ſuo in Capitulo Generali,vel quouis alio modo abdicante Præpoſito,Vicarius munus ſuum exerceat,donec alius Præpoſitus ſufficiatur,domumque ſuam adeat.

1617 15 Vbi primùm in ſuam aduenerit domum Præpoſitus; Vicarius abdicato munere,ad ſuum Profeſſionis locum ſe conferat; ſi triennium non perfecerit, rurſus refici poterit à Præpoſito, & à Patre Generali quoad triennium expleat ex Conſtitutionum præſcripto:triẽnio verò expleto, alius creetur.

1612 16 Vicarij Domorum in ea tantùm domo, cuius Vicarij ſunt poſt Præpoſitum, in cæteris verò domibus ſuo quiſque profeſſionis loco collocetur. Vicarius tamen S. Mariæ de Tauro Ciuitatis Aequẽſis ſuo priuilegio gaudeat. Vicepræpoſitus verò S. Silueſtri ſemper, & in quauis domo, ne dum Sancti Silueſtri ante quoſcumque Vicarios collocetur.

1615 17 Domui Tuſculanæ præficiatur Vicarius ex cæterorum præſcripto, qui ſubſit domui Sancti Silueſtri.

1601 & 1610 18 Pater Vocalis,cui adminiſtratio domus S. Mariæ de Tauro in Ciuitate Aequenſi commiſſa eſt, Vicarius appelletur: ibi præcedat omnibus,etiam ſi alterius eſſent domus,eique profeſſionis ordine ſuperiores,modò ne ſint Præpoſiti, aut Viſitatores viſitationis tempore. Quando Neapoli eum morari contigerit, poſt Præpoſitum, Viſitatores viſitationis tempore,& Vicarium ſedeat.In rebus Capitularibus, & grauibus illi domui ſubiaceat, à qua pro tempore dependet. Extra ſuam domum nullam iuriſdictionem exerceat, etiam ſi ibi profeſsionis ordine prior cæteris eſſet: Idem eſto de Patribus aliarum domorũ in Sancta Maria demorantibus abſente Vicario,etiam ſi Præpoſitus eſſet,nam prælationem ſolùm,non iuriſdictionem ibi habet. Tempore electionis Vocalis Capituli Generalis ius habet,vnà cum alijs vocalibus ſuę domus ferendi ſuffragium in ea domo, cui eo anno ſubordinatur: dum ibi commorabitur à Præpoſito domus benedictionem petat: ſecus autem quando Præpoſitus in domo Sanctæ Mariæ demorabitur. Qui in S.Mariæ domo fuerit aſſignatus,ad aliam domum ne transferatur abſque Patris Generalis facultate.

1614 19 Vicarius Sanctæ Mariæ de Vico Aequenſi quoties Neapolim ire,vel commorari contigerit non ab alio,quàm à Præpoſito eius domus, cui eo anno ſubijcitur,benedictionem petat; quotieſcumque de grauioribus ſuæ domus negotijs, ſuis antea vocalibus communicatis, Neapoli agetur,cum cæteris ipſe conueniat, & ſuffragium ferat; quod ius etiam eſt reliquorum vocalium eiuſdem S.Mariæ, quotieſcumque id contigerit, & Neapoli fuerint.

1598 20 Abſente Præpoſito,& Vicario, ſenior ex vocalibus (licèt alius eſſet

ſacer-

Digitized by Google

ſacerdos profeſſione prior) in ſolemnioribus diebus celebret, &
quoad omnia ſemper Præpoſiti iura in ſpiritualibus exerceat.

21 In vna quaque domo tres ſaltem aſſignentur vocales vtriuſque vo- 1615
cis tum actiuæ, tum paſſiuæ.

22 Tùm Clericorum, tùm Laicorum noſtrorum mores, vitæque ratio- 1618
nem bis ſingulis annis, menſe Ianuario ſemel, & iterum per men- &
ſem à feſto die Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Præpoſitus, ac duo ex 1627,
vocalibus domus per ſecreta ſuffragia electi, ſedulò ſcrutentur: Iu-
riſiurandi Sacramento obſtrictis vocalibus, & Præpoſito, commiſ-
ſa ſe non enunciaturos: inquirent autem à cunctis ſuæ domus Re-
ligioſa Iuriſiurandi affirmatione deuinctis, ſe probata & interro-
gata non prolaturos. Si autem, quod abſit, grauius aliquod faci-
nus, aut vehemens de aliquo ſuſpicio, oboriatur, res quampri-
mùm ad Patrem Generalem deferatur, qui pro rei, vel ſuſpicionis
qualitate, quid facto opus fuerit, decernet.

23 Ad Capitulum cuiuſque domus omnes prorſus eius domus voca- 1621
les conueniant, qui pro ſuo libito per tres cõtinuas vices abſuerit,
per trimeſtre actiuo, & paſſiuo ſuffragio puniatur. Quod tantùm 1653
intelligatur de Capitulis, in quibus aliquid ſecretis ſuffragijs de-
cernitur, quo tamen nõ obſtante, ad electionem vocalis pro Ca-
pitulo Generali liberum ſit tali pœna punito, interuenire.

24 Dato campanulæ ſigno, ſinguli vocales ad capitulum accedant, qui 1624
non acceſſerit, non accerſatur. Cùm aliquis vocalis ea die, qua &
congregandum erit Capitulum, è domo egredi voluerit, monea- 1627
tur celebrandum eſſe Capitulum; qui ſi poſtea abſuerit, eius nulla
habeatur ratio; cum ægrotis verò agatur prout de iure.

25 Vt charitatis, paciſque fædus minimè turbetur, caueant Patres ante 1568
præſtitum tempus aliquo modo detegere, vel aperire, quæ ſiuè in
generalibus, ſiuè in particularibus Capitulis acta fuerint, quæue
in noxam, aut præiudicium alicuius eſſe queunt, qui ſecus fecerit,
tamquam violati ſecreti reus, prima vice à vocis ferendæ ſuffragio
per quadrimeſtre, ſecunda vice per ſemeſtre, ſuſpendatur. De
modo autem inquirendi in huiuſmodi criminis reos id ſeruetur,
quod in murmuratores, ſtatutum eſt: quòd ſi Præpoſitus in hoc
crimen inciderit, res ad Patrem Generalem deferatur.

26 Qui diu, noctuque Choro intereſſe neglexerit, neque communi ve- 1624
ſcetur menſa, niſi ſenectutis morbo adſtrictus, à Præpoſito moni-
tus non reſipuerit, deferatur à Præpoſito ad Patrem Generalem,
& etiam à Viſitatoribus viſitationis tempore. Ille deliberet, quæ
magis ad Regularem tuendam obſeruantiam facere exiſtimabit.
Itidem fiat cum ijs, qui æquo frequentiùs domo exeunt; vt immo-
deratæ ædium ſæcularium frequentationi, quoad fieri poteſt, oc-
currarur; ſignificentur etiam Patri Generali, qui res noſtras ma-

Digitized by Google

ximo congregationis malo quibuſuis extra Religionem perſonis aperire non verentur, vt ab ea domo amoueantur, atque à vocis etiam, et ordinis exercitatione pro rei grauitate per aliquod tempus ad correctionem ſuſpendantur.

1618 27 Sacerdos, qui ad ſæcularium tam virorum, quàm mulierum confeſſiones audiendas erit exponendus, approbetur per ſecreta ſuffragia à Pręposito, et duabus partibus vocalium ex tribus eorum, qui Capitulo domus interſunt, deinde ad Patrem Generalem deferatur, qui ex conſenſu maioris partis Conſultorum per ſecreta ſuffragia facultatem audiendi confeſſiones præſtet, pro certo tamen tempore, et loco tantùm, in quo tunc ſacerdos deget.

1624 28 Ad alterius domus familiam à Patre Generali deſtinatus, ſi per ſex dies iuſſa non fuerit executus: quoad obtemperauerit, tamquam hoſpes in ea domo erit, ac niſi grauis vrgeat neceſsitas à Præpoſito, et vocalibus cognita, et per ſecreta ſuffragia probata, nequaquam è domo exeat.

1627 29 In Capitulis domorũ, cæpto de qualibet re propoſita ſcrutinio, Præpoſitus definitionem in aliud tempus ne protrahat, ſed confecto ſcrutinio, ſtatim per ſecreta ſuffragia, non autem viua voce, quoduis negotium, etiam in odiũ, præiudicium ue alicuius non vergens, definiat. Propoſita in Capitulis, et per ſecreta ſuffragia non probata, ſeorſim tamen in libro Capitulorum adnotentur.

1586 30 Noſtrarum domorum Patribus libera ſit poteſtas erigendi in noſtris domibus oratoria pro ſæcularibus, in quibus orationes fundãtur, ſpiritualia colloquia, exercitia, et ſermones habeantur: obtenta priùs facultate à Patre Generali.

1592 31 Sęcularibus negotijs nemo noſtrum ſe immiſceat, et præſertim in matrimonijs contrahendis, abſque peculiari ſui Præpoſiti licentia.

1586 32 Nullæ prorſus in noſtrarum domorum ianuis eleemoſynæ mulieribus erogentur, nec eiſdem quamuis paupertate confectis à quoquam, etiam Confeſſario, abſque peculiari poteſtate, à Præpoſito ſibi facta, eleemoſynæ erogari poſſint, vel à ſæcularibus eorum nomine peti; qui ſecus fecerit grauiter puniatur.

1624 33 Inanes ſcripturitiones longè ſint ab vnoquoque noſtrum, de negotijs ad vnum dumtaxat Patrem Generalem quiſque ſcribat, addita inſcriptione, Admodum Reuerendo Patri Generali, et Conſultoribus: quæ Conſultoribus ſeorſim ſcribentur, in Conſultationẽ non veniant, nec de ijs à Patre Generali, et Conſultoribus agatur. Quaſcumque noſtrorum litteras quibuſcumque datas, præter eas, quæ ad Patrem Generalem, Conſultores, Viſitatores, Vocales pro Capitulo generali electos, ſtato in Conſtitutionibus tempore, Prępoſitus aperiat, legat, etiam quæ à parentibus, aut ſecularibus conſanguineis fuerint propinquioribus datæ, aperire, et apertas

tradere

tradere poſſit; cæteras quaſcunque ab exteris datas, et aperiat, et legat: qui autem litteras dederit, vel acceperit inſcio Præpoſito, puniatur grauiter.

34 Duo in quauis domo à Præpoſito, & vocalibus eligantur, qui rationes accepti, & expenſi conferant, ſubducant, cenſoriamque notationem conficiant, idque bis in annos ſingulos, per menſem ante viſitationis tempus, & antequam rationariũ domus Romam mittatur; quòd ſi idonei ratiocinatores inibi non erunt, Patres in Capitulo vnum, quem rationum ſubducendarum gnarum iudicauerint, è proximiori accerſant domo. 1627

35 In qualibet domo notentur in peculiari libro quæ à Patre Generali, à Viſitatoribus viſitationis tempore, ac Præpoſitis domorum ſeruanda in dies proponuntur, quò faciliùs in opus exeant. 1621

De loco, & ordine cuiuſque inter ſe. Cap. VIII.

1 Viua voce actum eſt, Patres Conſultores, tempore, quo Conſultoris munus exercent poſt Vicepræpoſitum Sancti Siluestri proximè collocandos. 1621

2 Si quis noſtrum animi leuitate ductus à noſtra Cõgregatione facultatem, & copiam adeundi arctiorem exquiſierit, ſignificetur ei, quòd ſi regreſſus fuerit, præter alias pœnas ſuperiorum arbitrio decernendas, vltimo inter eos, qui in eodem ordine, & gradu fuerint, collocabitur loco. 1582

De correctione delinquentium, pœniſque tùm grauioribus tùm leuioribus. Cap. IX.

1 STatuimus leuiores eſſe pœnas haſce in tranſgreſſores rerum leuium Conſtitutionum, Decretorum, vel ordinationum, tum Capituli Generalis, tum cæterorum ſuperiorum noſtrorum, videlicet: in medio refectorio genibus flexis comedere: Pane tantùm, & aqua veſci: Pedes fratrum deoſculari: Vaſa cibaria tergere, ac cætera huiuſmodi regularem mortificationem præſeferentia, modò pro ſingulis culpis ne vltra ſexies infligantur. Illa tùm Superior, tùm qui locum tenet Superioris pro tempore, abſque etiam Vocalium conſenſu, imponat: Ab ijs ad cæteros, etiam noſtræ Congregationis Superiores, appellatio non admittitur. In eorum irrogatione non tenetur Superior iudicialiter inquirere de culpa, acta conficere, teſtes euocare, ſententiam in ſcriptis ferre, lataeque pœnæ rationem reddere, Cùm huiuſmodi ſint apud Religioſos 1621

ligioſos viros mortificationis , humilitatiſque potiùs exercitatio-
nes, quàm pœnæ .

1621 2 Statuimus pœnas grauiores in trãſgreſſores rerum grauium noſtra-
rum Cõſtitutionum, Decretorum, & Ordinationum, tum Capituli
Generalis, tum cæterorum Superiorum, vel in quoquo pacto gra-
uiter Superioris arbitrio delinquentes, cenſendas eſſe haſce, nem-
pe à conficiendo ſacro, etiam Vocales per trimeſtre interdicere.
Loco profeſſionis eos, qui Vocales non ſunt per ſemeſtre priuare.
Sacerdotes ad vocis ferendæ ſuffragium non adhuc propoſitos,
1653 miſſarum miniſterio mancipare. Clericos per annum, à die com-
pletæ ætatis enumerandum, ad ordines non promouere, ac per an-
num loco profeſſionis priuare. Per bimeſtre in Refectorij medio
die Mercurij, ac Veneris pane tantùm, et aqua veſci. Per bimeſtre
item in proprijs cuiuſque cellulis à ciuili omnium communicatio-
ne ſeparatos detinere, etiam clauſo oſtio, licet nõ clauibus, ac per
menſem ampliùs, ſi videbitur, rotundo bireto more fratrum laico-
rum in Refectorio vti. Fratres laicos per trimeſtre detinere in car-
cere, aliaſque eiuſmodi dependere pœnas, quas Præpoſitus irroga-
bit ex conſenſu maioris partis Vocalium ſuæ domus, vel Viſitato-
rum viſitationis tempore, modò delictum ſit per menſem ante vi-
ſitationis tempus, et non ante perpetratum, nec de eo quouis tẽ-
pore ante viſitationem aliquid fuerit à Vocalibus actum. Ab eiuſ-
modi pœnis decernimus non dari ad Superiores noſtros appella-
tionem, nec Superiores de eiuſmodi culpis teneri acta conficere,
nec forenſem exequi formulam, ſed ore , & extraiudicialiter facti
veritate inſpecta, delinquentem de ſuo errato monere, vt ſi quid
in ſui defenſionem habeat, exprimat, ac deferat, ac demum ſimpli-
ci facti enarratione, pœnaque irrogata, ſcripto prolata à ſe, & Vo-
calibus, ſiue à Viſitatoribus, viſitationis tempore , ac nominibus
ſubſcriptis , regularem pœnam dependere , autographum in ar-
chiuio ſuæ domus ſeruare , exemplar verò ad Patrem Generalem
tranſmittere in Archiuio Romano recludendum. Declaramus au-
tem neminem per huiuſmodi grauiores pœnas regulares, aliquam
iuris, aut facti infamiam incurrere , ſed tantùm regulari diſcipli-
na fore emendatum .

1621 3 In ſingulis Prouincijs à Patre Generali, & Cõſultoribus peracto Ge-
nerali Capitulo deſignentur Aſſeſſores, quorum conſilio, & opera,
tum Præpoſiti, tum Viſitatores iudiciarias controuerſias dirimãt.
Si quiſpiam intra triennium defecerit, ſufficiatur alter .

1621 4 Acta (quæ & proceſſus dicuntur) maturè, & accuratè de rebus gra-
uioribus tantùm agantur, idque non niſi re priùs à Præpoſito, &
Vocalibus diſcuſſa, ac rem in actis referendam à maiori parte
Vocalium per ſecretã ſuffragia fuerit decretum :

Qui

5 Qui iuridicè denũciauerit graue aliquod delictum alterius, quo acta forenſia in eum conficiantur, non reperto crimine, vel non ſufficiẽter à denunciante, prout de iure probato, ſubſit pœnæ talionis. 1621

6 Vbi decretum fuerit à Capitulo domus conficienda eſſe acta forẽſia, Præpoſitus eligat Aſſeſſorem ex Conſtitutis à P. Generali in ſua Prouincia, cuius dumtaxat conſilio, & ope, non Capituli domus, acta conficiat, ſententiam definitiuam ferat. Idque agat, quamuis ipſe Præpoſitus vnus è præſcriptis Aſſeſſoribus foret. 1621

7 Præpoſiti ſint Iudices ordinarij in primis cauſis. 1621

8 Viſitatores, etiam extra viſitationis tempus ſint Iudices ordinarij in ſecundis cauſis, ad quos datur appellatio à definitiua ſententia Præpoſiti; In primis etiam cauſis datur eis præuentio, non tamẽ definitiuam ſententiam ferant abſque Præpoſito præuento, modò ſemper adſit vnus è deſignatis Aſſeſſoribus. 1621

9 A Viſitatorum ſententia datur appellatio ad Patrem Generalem, & Conſultores, qui adhibito Aſſeſſore eorum arbitrio eligendo, cum eo pariter omnes iudiciũ proſequãtur. Præpoſitus, Viſitator, P. Generalis in agendis ſubditorũ cauſis Aſſeſſoris voto ſe conforment. 1621 1653

10 Præpoſitus, Viſitator, Pater Generalis, quum, adhibito Aſſeſſore, cauſam aget, nequaquam ſuſpectus haberi poterit. 1621

11 Qui Aſſeſſorem ſuſpectum protulerit, intra biduum ſuſpicionis cauſas exhibeat, breuique probet: interim re ad Patrem Generalem à reo delata, ipſe alium Aſſeſſorem eiuſdem Prouinciæ deſignet, qui ſuſpicionum cauſas iure, & facto cognoſcat, & ſuſpicione probata, iudicium proſequatur. 1621

12 Cauſa ſuſpicionis non conſtita ex probationis defectu, vel quia non ſufficiens fuerit, qui eam adduxit ſemeſtri includatur in carcere, quæ pœna, nec etiam à Patre Generali remittatur. 1621

13 In qualibet Prouincia à Patre Generali, & Conſultoribus deſignentur Aduocati, quorum patrocinio delinquentes vti queãt, niſi ipſi delinquentes aliquem è Patribus, fratribuſuè eiuſdem domus, in qua ſunt ſibi aduocatum eligant. 1621

14 Cuilibet Vocali domus liceat in delinquentes iudicialiter inſurgere pro Congregationis noſtræ bono, ac etiam tùm à Præpoſito, tùm à Viſitatorum lata ſententia appellare. Idq; nõ vt pars, denunciator, vel accuſator, ſed vt Fiſci promotor, ne impune ſit delictum. 1621

15 Nemo noſtrum in communi, vel in particulari murmuret, vel detrahat alicui, qui ſecùs feciſſe cõpertus fuerit, grauiter puniatur. Siq; ſimplex Sacerdos ſit, ſciat id ei impedimento fore ad ius ferendi ſuffragij, ac ſi detractor excuſationis cauſam afferat, ſe ſcilicet ab alio excepiſſe, nomen illius deferre cogatur: & ſi non deferat, & ſe ab alijs accepiſſe non probauerit, ipſe pœnam quaſi detractionis auctor ſubeat: Curent autem ſedulò Præpoſiti, vt Decretum hoc executioni mandetur. 1610

De

Digitized by Google

1607 *De propellenda Ambitione. Cap. X.*

1 CAutum eſt ab omnibus, & ſingulis Capituli Patribus communi ſuffragio, ac nemine penitus diſſentiente, ne quiſquam noſtræ Congregationis quoquo pacto per ſe, vel per alios, palam, vel occultè Epiſcopi dignitatem petat, vel per ambitum quærat. Qui ſecus agere compertus fuerit, re probata, omni dignitate, & munere noſtræ Congregationis priuetur: De Ciuitate, in qua demorabitur eijciatur, eòque mittatur, vbi nullam Epiſcopatus captandi occaſionem, aut opportunitatem habere poſſit. Si Generalis, vel alicuius domus particularis Præpoſitus fuerit, ſi Viſitator, ſi Conſultor, protinus in eius locum ſufficiatur alter: ſi vocalis, à ferendi ſuffragij iure cadat: ſi Sacerdos ſimplex, rem ſacrã ne faciat, Confeſſiones ne audiat: Si Clericus in Sacris conſtitutus, à miniſtrando ſuſpendatur: ſi non fuerit in ſacris, ad ſacros ordines ne promoueatur: quæ pæna nullo modo relaxetur, vel remittatur vnquam; imò nec de ea re ſermo habeatur, niſi in Generali Capitulo, idque expleto ſexennio. At ſi Pater Generalis, vel loci Præpoſitus, aut Viſitator eius rei certior factus, inquirere, & contra eum agere deſtiterit, aut quiuis alius Sacerdos, vel Clericus, qui
1584 ſciens rem totam ad Superiores non detulerit, eiſdem pænis ſub-
& iaceat. Si verò fuerit laicus, pro ſuperioris arbitrio puniatur.
1607 2 Nemo inſuper noſtrũ palam, vel occultè petere, aut ambire audeat, vt Præpoſitus, vt Viſitator, aut Definitor, aut Conſultor, aut Vicarius, aut Magiſter Nouitiorum, aut vocalis ad Generale Capitulum interfuturus ipſe creetur: vel vt ad ferenda ſuffragia, confeſſiones audiendas, Sacroſue ordines ſuſcipiendos admittatur: qui
1586 ſecus fecerit, nõ modò inhabilis ad id muneris eo anno habeatur, verùm & alia etiã pæna Superioris arbitrio decernenda puniatur.

3 Pænales ſententias à Generali Capitulo latas, nemo extra viſitationis, aut Capituli tempus, nec etiam cũ ipſomet reo pæna affecto detractet, qui ſecus fecerit. Si vocalis fuerit, iure ſuffragij ferendi, ſi ſimplex Sacerdos à ſacro faciendo ſuſpendatur, idque per annũ.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

P. partem ſignificat, C. caput, D. decretum, & F. folium.

A

Abſente Præpoſito, & Vicario, quis Præpoſiti iura exerceat. p. 3. c. 7. d. 20. fol. 27

Accuſatores quando pœna talionis puniantur. p. 3. c. 6. d. 3. 24

Aduocati plures aſsignētur à Patre Generali in ſingulis prouincijs. p. 3. c. 9. d. 13. 31

Ad examen Logicæ, vel Philoſophiæ, Præpoſitus domus, & vocales interrogare poſſunt, modò velint. p. 2. c. 5. d. 10. 15

Alba ſchedula in electione inuenta, quis dicatur electus. p. 3. c. 1. d. 6. 16

Alba ſchedula qui in electione vtitur, qua pœna puniatur. p. 3. c. 1. d. 5. 16

Ambientes Epiſcopatum, qua pœna puniantur p. 3. c. 10. d. 1. 32

Ambientes dignitates, vel Officia intra Religionem, qua pœna puniantur. p. 3. c. 10. d. 2. 32

Apoſtatis facultatem facere poterit P. Generalis ingrediendi aliam Religionem. p. 3. c. 5. d. 13. 23

Appellari poteſt in noſtra Congregatione à Præpoſito ad Viſitatores, & à Viſitatoribus ad P. Generalem. p. 3. c. 9. d. 9. 31

Appellari non poteſt à correctionibus regularibus. p. 3. c. 9. d. 14 & 2. 29. & 30

Aſſeſſores ſuſpecti dari poſſunt. p. 3. c. 9. d. 11. 31

Aſſeſſorem habere debet quilibet ſuperior in noſtra Religione in formando proceſſum, & iudicando. p. 3. c. 9. d. 6. 8. & 10. 31

Aſſeſſores plures aſſignentur à Patre Generali in ſingulis Prouincijs. p. 3. c. 9. d. 3. 30

B

Beati Caietani, & B. Andreæ profeſtis cuncti ieiunent. p. 2. c. 3. d. 5. 7

Bona diſcedentium Præpoſiti videant, & maniſeſtent Præpoſitis domorum, ad quas pergunt. p. 2. c. 7. d. 7. 15

Bona à Nouitijs relicta vel donata, cuius Domus ſint p. 2. c. 4. d. 5. 8

C

Campanulæ ſigno vocales ad Capitulum accedent. p. 3. c. 7. d. 24. 27

In Capitulis domorum, re propoſita à Præpoſito, definitionem in aliud tempus nè protrahat. p. 3. c. 7. d. 29. 29

Digitized by Google

Capitulum cum congregandũ erit, egredientes è domo moueantur p.3.c.7.d.24. 28
In Capitulis non probata, ſeorſim in libro Capitulorum adnotentur. p.3.c.7.d.29. 28
Caſuum conſciẽtiæ lectiones habeãtur in qualibet domo. p.2.c.5. d.21. 13
Caſuum conſcientiæ examen de Sacerdotibus in vocalium numerũ adſcribendis quomodo peragendum. p 3.c.3.d.2. 19
In Cellam alterius nemo intret. p.2.c.6.d.1. 13
Cenſus vitalitij ſunt vendendi. p.2. c.1.d.2. 6
Cenſus vitalitios ne quis exigat, vel ſpõte datos accipiat p.2.c.1 d.5. 6
Clerici etiam poſt emiſſam profeſſionem ſub Magiſtro Nouitiorũ degant. p.2.c.4.d.17. 10
Clericorũ pœnæ grauiores. p.3.c.9. d.2. 30
Cum concionatoribus infirmis Pater Generalis diſpenſare poterit. p.3.c.5.d.8. 22
Confeſſarij quomodo ſunt examinandi. p.3.c.3.d.2. 19
Confeſſarij à penitentibus obedientiam ne præcepto exigãt. p.1.c.3. d.1. 2
Confeſſiones mulierum, quæ in Monaſterijs, vel Conſeruatorijs degunt, noſtri ne audiant abſq; licentia P.Generalis p.1 c.4.d.1. 3
ad Confeſſiones virorum, & mulierum noſtri quomodo promouendi. p.3 c.7.d 27. 28
Confiteri non poſſunt noſtri extero Sacerdoti, nec noſtris alterius domus. p.1 c.6.d.1. & 2. 4
Conſanguinei in Capitulis ſuffragiũ quomodo ferãt. p.3 c.1.d.17.18
Conſanguinei plures vocales, ſi contingant ſimul eſſe in capitulo, qui ex illis vocem habent. p.3. cap.1. d.16. 18
Conſanguinei in primo, vel ſecundo gradu coniuncti, Præpoſiti eſſe nõ poſſunt in eadem ciuitate. p.3. c.7.d.1. 24
Conſtitutiones, & Decreta quater in anno legantur in Refectorio. poſt Præfat.
Conſultores tres ſemper Romæ ſint. p.3.c.5.d.10. 23
Conſultores in quibus caſibus habẽt votum cum Patre Generali. p.3. c.5 d.9. 23
Conſultores immediatè ſedeant poſt Viceprępoſitum Sancti Siluestri p.3.cap.8 d.1. 29
Cõſultoris primi auctoritas poſt mortem P Generalis p.3.c.4.d.1. 20
Conuiuia in diebus profeſſionis, aut ſacri Ordinis, ne fiant. p.2. cap.3. d.1. 7
Conuiuijs ſecularium noſtri ne interſint p.2.c.3.d.2. 7

D

Definitores etiam ſunt Conſultores de Corpore Capituli electi. p.3.c.4.d.3. 20
Definitores qui eſſe nequeant. p.3. c 4.d.2. 20
Quæ ſuffragia ſunt à nobis pro fratribus defunctis præſtanda. p.1.c.7.d 1. 4
Denunciatores iudiciales, quando pœna talionis puniantur. p.3.c.9. d 5. 31
Deſtinatus à P. Generali ad alterius domus familiam, tanquam hoſpes erit habendus in ea domo. p 3.cap.7 d.18. 28
Detractores, & Murmuratores qua pœna puniãtur. p.3.c.19.d.15. 31

à Di-

à Dignitate unuſquiſque vacat, ſexennio annorum ſerie continuata. p.3.c.7.d.3. 24

Domus non acceptetur ubi viginti ex noſtris ali non poſſunt p.3.c.5. d.5. 22

Dubitatio orta ſuper electione Vocalis pro Generali Capitulo, erit decidenda a P.Generali, & Conſultoribus.p.3.cap.1.d.12. 17

E

Electio Vocalis pro Capitulo Generali, ut omnino fiat, quomodo fieri debeat.p.3.c.1.d.9. 17

Electio Vocalis pro Capitulo Generali quando fieri debeat.p.3.c.1. d.1. 16

Electio Vocalis pro Capitulo Generali facta à vocali actiua vocis tantùm quomodo valida.p.3.c.1. d.7. & 8. 17

Electio Vocalium pro ſcrutinio nouitiorum, pro ſcrutinio Clericorũ pro reuiſione dati, & accepti, quomodo peragenda.p.2.c.4.d.16. 10

Electioni Vocalis pro Capitulo Generali, ſi quis intereſſe noluerit, actiuo, atque paſſiuo priuatur ſuffragio.p.3.c.1.d.3. 16

Quomodo verò intelligatur habetur. d.4. 16

Electioni de ſe facta pro Capitulo Generali, Vocalis aſſentiri teneatur. p.3.c.1.d.2. 16

Ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali legantur Conſtitutiones, & Decreta. p.3. cap.1. d.1. 17

Electiones debent eſſe ſecreta, & antequam fiant, præſtent electores iuramentum de ſecreto ſeruando. p.3.c.1.d.13.14.15. 18

Electores ſchedulam alteri oſtendere, vel tradere non poſſunt. p.3.c.1. d.13. 18

Eleemoſyna pro particularibus perſonis à Concionatoribus noſtris ne petantur. p.2.c.1.d.6. 6

Præpoſiti, ſi fuerint nominati Epiſcopi, intra octo dierum ſpatium, vel acceptent, vel renuncient, aliàs ipſo iure priuantur Præpoſitura p.3.c.7.d.5. 25

Epiſcopi dignitatem procurantes, qua pœna puniri debent. Item non reuelantes. Et ſuperiores illos non punientes. par.3.c.10. d.1. 31

Epiſcopi ex ordine noſtro aſſumpti libros ſecum aſportare non poſſunt abſque Capituli Generalis licentia. p.3.c.7.d.6. 25

Examen ſacræ Theologiæ coram P.Generali tempore Viſitationis fiat p.2.c.5.d.9. 12

Examinatores, & Vocales domus ſingillatim, & ſeorſum ſcribant eorum vota. p.2.c.5.d.12. 12

Examinatores quomodo ſe gerere debeant in examine, de quibus exquirere debeant &c. p. 2. c.5. à d.13. vſque ad 19. 12

Examinatores, minus idoneos ne admittant p.2.c.5.d.11. 12

Examinentur ſcholares quot annis. p.2.c.5.d.7. 11

F

Feltro uti poſſunt noſtri in itinere p. 2.c.2.d.3. 7

Fiſci Promotores eſſe poſſunt. Vide Vocales omnes.

G

P. Generalis alternis vicibus eligatur, ſemel oriũdus &c. p.3.c.5.d.1. 21

E 2 *Habitu*

H

Habitu Religionis non niſi poſt quinquennium laici induantur p. 2. c. 4. d. 8. 10
Hoſpitij tempus quando incipiat. p. 2. c. 4. d. 13. 10
Hoſpitia vltra trium dierum ſpatium, ne prorogentur. p. 2. c. 7. d. 5. 14
Hoſpites ſua negocia Præpoſitis domorum aperiant p. 2. c. 7. d. 6. 14
Hoſpites noſtri Præpoſito Domus ſubſint p. 2. c. 7. d. 5. 14

I

Biennij diebus, ſerotina cenula quomodo ſit facienda. p. 2. c. 3. d. 4. 7
Imprimi non poſſunt noua opera abſque licentia P. *Generalis, & Conſultorum* p. 3. c. 5. d. 6. 22
Iudices ordinarij ſunt Præpoſiti in primis cauſis p. 3. c. 9. d. 7. fol. 31 *& Viſitatores in ſecundis, & etiam in primis, ſi præueniant Præpoſitum* p. 3. c. 9. d. 8. 31
Iuramenti forma in electione vocalium habetur. p. 3. cap. 3. d. 4. & 5. f. 20. *Et in alijs electionibus*. p. 3. c. 1. d. 14. 18
Iuramentum præſtare debet Generalis electus nõ acceptandi dignitates, & c. p. 3. c. 5. d. 4. 22
Iuramentum præſtare debent Patres de ſecreto ſeruando;
Primò. Eorum, quæ dicuntur in Scrutinio Generalis, & Conſultorum. p. 3. c. 2. d. 1. 19
Secundò. In omnibus electionibus quæ fiunt in Capitulo Generali, *ſcilicet*, Præſidis, Generalis, Conſultorum, Præpoſitorum, & *Viſitatorum* p. 3. c. 1. d. 14. 18
Tertiò. In electione vocalis pro Capitulo Generali in ſingulis domibus. p. 3. cap. 1. d. 14. 18
Quartò. In electione vocalium. In conſtitutionibus p. 3. c. 3. §. *Tum quò liberiori animo*.
Quintò. Vt vocales electi non publicentur ante præſtitutum duorum menſium tempus. p. 3. c. 3. d. 5. 20
Sextò. In ſcrutinio Clericorum, & Laicorum p. 3. c. 7. d. 22. 27

L

Laici fratres extra domum abſque ſocio ne mittantur. p. 2. c. 8. d. 1. 15
Laici noſtri admitti poſſunt ad Miſſæ miniſterium. p. 1. cap. 3. d. 4. 2
Laici non niſi poſt quinquennium habitu Religionis induantur. p. 2. c. 4. d. 8. 10
Laici fratres cuius domus profeſſi cenſeantur. p. 2. c. 4. d. 20. 10
Lectio in communi menſa ne omittatur iuxta Decretum. p. 2. c. 3. d. 6. 7
Lectores ad prædicandum ne mittantur. p. 2. c. 5. d. 3. 11
Lector ſacræ Theologiæ quis eligendus p. 2. c. 5. d. 2. 11
Lectoris abſentis ab examine Pater Generalis iudicium expectet. p. 2. c. 5. d. 10. 12
Legata à Nouitijs relicta cuius domus ſint. p. 2. c. 4. d. 5. 8
Legata cuinam ſoluenda. p. 1. c. 1. d. 1. 6
Legata ante præſtitutum tempus ne exigant Præpoſiti domorum. p. 3. c. 7. d. 7. 25
Librum aliquem ex publicis Bibliothecis nemo aliò transferat. p. 2. c. 5. d. 22. 13
Librorum imprimendorum recognitores ſex in qualibet Prouincia depu-

deputandi, qui libri Romam mittendi. p.3 c.5.d.7. 22
In peculiari libro ſcribantur, quæ à P. Generali, & Patribus Viſitatoribus, & Præpoſitis ſeruanda proponuntur. p.3.c 7.d 35. 29
Inanes litteræ longè ſint ab vnoquoque noſtrum p.3.c.7.d.33. 29
Litteris ſine ſubſcriptione, nulla fides habeatur. p.3.c.6.d 4. 24
Logicæ ſtudium, & Nouitiatus eſſe poterit in amplioribus domibus. p.2.c.4.d 2. 8

M

Magiſtri Nouitiorum à quibus deſignandi, & eligendi. p.2 c.4.d 6.& d.17. 8.& 10
Magiſtri Nouitiorum lectores ne ſint. p.2.c.4.d.7. 8
S. Maria de Puritate ordinis Patrona. Eius feſtum agitur die Purificationis B. Virginis p.1.c.1.d.2. 1
Menſes pauci Præpoſituræ pro vno anno cõputantur p.3.c.7.d.4. 24
Menſa prima expleta, ſignum detur ſecundæ p.2.c.3.d.3. 7
Miſſæ ſacrificium iuxta ſuperioris intentionem eſt applicandum. p.1 c 3 d.6. 2
Miſſarum onera perpetua poteſt noſtra Congregatio acceptare. p.1.c.7.d 3 4.5.6. 5
Miſſæ ſacrificium quomodo celebrandum. p.1.c.3.d.5. 2
Miſſæ miniſterio laici noſtri admitti poſſunt. p.1 c.3.d 4. 2
Monialium Confeſſarius ordinarius quis eſſe nequit abſque licẽtia Capituli generalis, p. 1.c.4.d.2. 3
Monialium Confeſſarius extraordinarius, vltra mẽſem ne protrahat tẽpus. Quæ facultas requiratur ad protrahẽdũ. p.1.c.4.d.2. 3
Monialibus loquentes abſque licẽtia ſacræ Congregationis, mortaliter peccant. p.1 c.4.d.3. 3
Moniales nemo alloquatur, litteras mittat, &c. abſque licentia Patris Generalis. p.1 c.4.d.4. 3
Monialium Monaſteria adeundi facultas, à quibus petenda. p.1.c.4 d.4. 3
Mortuorum ſcripturæ quæ ſunt comburendæ. p.3.c.5 d.11. 23
Mulierum confeſſiones. Vide qui ad Vicariatum.
Ad mulierum confeſſiones quo ordine noſtri ſunt admittendi. p.1.c.3.d.2. 2
Mulieribus in noſtrarum domorũ ianuis eleemoſynæ ne erogentur. p.3.c.7.d.32. 28

N

Negocijs ſecularibus, noſtri ne ſe immiſceãt. p.3.c.7.d.31.28
Negocia omnia vni committi debent in qualibet domo. p.3.c.7.d.13. 25
Negocia ſua Hoſpites Præpoſitis domorum aperiant p.2.c.7.d.6. 14
Nouitij in humanioribus litteris exerceantur. p.2.c.4.d.8. 8.& 9
Nouitij nouas veſtes ne deferant. p.2.c.4.d.9. 9
Nouitij in quibus domibus sũt educandi p.2.c.4 d.1. 8
Nouitij laici cum Nouitijs clericis ne verſentur. p.2.c.4.d.19. 10
Nouitij ante profeſſionem ad quæ ſtudia admitti non poſſunt. p.3.c.5.d.9. 23
Nouitius reprobatus à Capitulo, ſtatim dimittatur. p.2.c.4.d.14. 10
Nouitius antequam recipiatur, tria celebrentur Capitula intra menſem, & duæ partes Vocalium cõſentiant. p.2.c.4.d.11. 9

Noui-

Nouitius receptus in aliqua domo, vbi non eſt Nouitiatus, à P. Generali ad domum Nouitiatus deſtinetur. p.2.c.4.d.3. 6
Nouitius ante 14. annum ne recipiatur. p.2. c.4. d.10. 9
Nouitiorum extra Italiã recipiendorum cõditiones. p.2.c.4.d.12. 9
Nouitiatus vbi ſtudia fuerint incepta ne habeantur. p.2.c.4.d.2. 8
Nouitiatus, & Logicæ ſtudium in amplioribus domibus eſſe poterit. p.2. c.4.d.2. 8

O

Obitus Fratrum omnibus ſtãt manifeſtandi p.1. c.7.d.2. 5
qui Obſeruantias Religionis non adimplet, & à Præpoſito monitus non reſipiſcit, deferatur ad Patrẽ Generalem. p.3.c.7.d.26. 27
Officium Sanctorum, &c. quando fieri debeat. p.1. c.1. d.1. 1
Officia vltra ſexennium in Religione noſtra haberi non poſſunt, ſed triennio vacare debent. p.3. c.7.d.3. 24
Orationi mentali omnes in Eccleſia conueniant, & impediti ſe excuſent. p.1.c.2. d.1 & 2. 4
Oratoria erigere poſſunt patres domorum capitulariter congregati. p.3.c.7.d.30. 28
Ordinationes à Patre Generali, vel Præpoſitis factæ, in ſuo robore permaneant quouſque à ſucceſſoribus abrogentur p.3.c.7.d.11. 25
Ordinationum nomine non veniunt præcepta, ſiue excommunicationis. p.3.c.7.d.12. 25

P

Parochialibus Eccleſijs Sacerdos deſignetur, qui prima fidei rudimenta chriſtianis doceat. p. 1.c.3.d.7. 3
Paternitatis titulo honorandi. p.3. c.7.d.10. 25
Pecuniam retinere apud ſe nemini licet, etiam de præpoſitis licentia. p.2.c.1.d.1. 6
Pecunia data iter agentibus ne expendatur abſque Præpoſiti licẽtia. p.2.c.7.d.4. 14
Pecunias Præpoſito domus tradant hoſpites. p.2. cap.7. d.2. 14
Pecunias hoſpitum Præpoſiti domorum inuicem ſibi ſignificent. p.2. c.7.d.3. 14
Pellibus vti poſſunt noſtri in interioribus veſtibus. p.2.c.2.d.2. 7
Pœna talionis qui puniantur. p.3. c.6.d.3. & p.3. c.9. d.5. 31
Pœnas relaxare quas poterit P. Generalis. p.3.c.5.d.12. 22
Pœnæ regulares leuiores in noſtra Religione p.3.c.9.d.1. fol.29. Et quæ grauiores ibidem. d.2. f.30. & quis imponere poterit. ibidem. d.1. & 2. 29. & 30
Præpoſitus alicuius domus creatus Præpoſitus alterius, in priſtina domo Præpoſiti munus exercere valeat quouſque alius deueniat. p.3.c.7.d.2. 24
Præpoſiti, ac Viſitatores ex quibus Prouincijs, & quomodo aſſumendi. p. 3.c.4.d.5. 21
Præpoſiti Generalis lòcus abdicato munere. p.3.c.5.d.3 22
Præpoſito Generali defuncto, ſtatim congregandum capitulum. p.3. c.5. d.2. 21
Præpoſiti poſſunt tranſmittere aliquem in proximiorem domum ex neceſſitate, &c. par.3 cap.7. d.9. 25
Præpoſiti rationes accepti, & expenſi &c. Vide Rationes &c.
Præpoſituræ menſes pauci pro vno

anno

Digitized by Google

anno computatur.p.3.c.7.d.4. 24

Priuilegio aliquo abſque P. Generalis licentia, nemo vtatur, in noſtro Compendio Priuilegiorum minime notato.p.3.c.5.d.14. 23

Proceſſus conficere non poteſt Prapoſitus abſque conſenſu vocaliu domus.p.3.c.9.d.4. 30

Proceſſus facere non tenetur Prapoſitus, nec iudicialiter procedere, quando regulariter punit ſubditos. p.3.c.9.d.1.& 2. 29.& 30

Profeſſionis die, aut ſacri Ordinis ſuſceptionis, conuiuium ne fiat. p.2.c.3.d.1. 7

Procurator Generalis quomodo eligẽdus. Eius munus.p.3.c.4.d.6. 21

R

Rationes accepti, & expenſi, Prapoſiti quotannis ſub Quadrageſima initium, ad P.Generalem tranſmittant. p.3.c.7.d.8. 25

Rationales duo in quauis domo eligantur, qui rationes accepti, & expenſi conferant bis in anno. p.3.c.7.d.34. 29

Reliquia Sanctorum ne auferantur. p.1.c.2.d.1. 1

Romanarũ domorum viſitatio, Prapoſito Generali defuncto, quomodo agenda. p.3.c.5.d.2. 22

S

Acerdotium noſtris ne concedatur, niſi tranſacto ſeptennio à profeſſione p.1.c.6.d.3. 4

Sacerdos, qui Scrutinio Capituli Generalis ſubeſſe noluerit, quid agere debeat.p.3.c.3.d.1. 19

Sacerdotes in vocalium numerum adſcribendi, in anguſtioribus domibus per triennium exerceãtur Si detractauerint, pœna. p.3.c.3.d.3. 19

Sacco albo, in quibus caſibus ſuper-induì poſſint noſtri.p.1.c.3.d.3. 2

Scriptura. Vide Mortuorum ſcriptura.

Scrutentur deſignati Patres quot annis Clericorm, & Laicorum mores. p.3.c.7.d.22. 26

Scrutentur deſignati patres Nouitiorum mores per menſem ante profeſſionem.p.2.c.4.d.15. 10

Scrutinio. Vide, Sacerdos, qui in Scrutinio.

per Secreta ſuffragia quodvis negociũ decernatur.p.3.c.7 d.29. 28

Secreto ſeruentur qua in Capitulis tractantur.p.3.c.7.d.25. 27

Seculares admitti poſſint in ſcholis noſtris à P.Generali.p.2.c.5.d.4 11

ad Sermocinãdum admiſſus quomodo intelligatur.p.2 c.5.d.19. 13

Ad Sermocinandum admiſſi publicè in Eccleſijs ſermocinari non poſſunt. p.2.c.5.d.19. 13

Sexennio annorum ſerie continuata, vacat vnuſquiſque a dignitate.p 3.c.7.d.3. 24

Socios habere debent Laici, cùm extra domum mittuntur. p.2.c.8. d.1. 15

Studiorum curriculum expleatur. p.2.c.5.d.8. 11

Studia Philoſophia, ac Theologia in quibus domibus haberi debent. p.2 c.5.d.1. 11

Suburbanas Domus pro animi remiſſione, licet noſtris acceptare. p.2.c.1.d 7. 7

Suſpecti dari poſſunt Aſſeſſores.p.3.c.9.d.11. 31

Suſpicionem allegans, & non probans, qua pœna puniatur. p.3. c.9 d 12. 31

Suſpicionum cauſas cognoſcere debet alius Aſſeſſor, a P. Generali conſtitutus.p.3.c.9.d.11. 31

Theo-

T

Theologia ſtudium ante quinque annos non dimittendum. p.2.c.5.d.5. 11

Theologiæ, nedum ſpeculatiua, ſed etiã moralis, tractatus perlegantur; promiſcuè tamen cum ſpeculatiuis. p.2.c.5.d.5.& 6. 11

Teſtium nomina, & Delatorum, reis non manifeſtanda. p.3.c.6.d.2. 23

Tranſiens ad aliam Religionem amittit locum ſuæ profeſſionis redeundo ad noſtrã p.3.c.8.d 2. 29

V

VErrantur Eccleſiæ à Patribus, & Clericis. p.1. cap.2. d.2. 1

Veſtibus ex ſaia, vulgò dicta, noſtri vti poſſunt. p.2.c.2 d.1. 7

Viaticum, & Veſtium impenſas Nouitiorum, qui debeãt erogare. p 2.c.4.d.4. 8

Vicarius abdicato munere ad ſuum profeſſionis locum ſe conferat, aduenıente nouo Præpoſito. p.3.c.7.d.15. 26

Vicarius domus ordinet acta electionis, non vocalis ſenior. p.3.c.1.d.11. 17

Vicarius Tuſculanæ Domus ſubeſt domui Sancti Silueſtri Romæ. p.3 c 7.d 17. 26

Vicarij Sãctæ Mariæ de Tauro in Ciuitate Vici Aequenſis facultas. p.3.c.7 d.16.& 18. 26

Vicarij domorum quo loco collocãdi. p.3 c.7.d.16. 26

qui ad Vicariatum, vel ad Confeſſiones mulierum ſunt eligendi, in Diffinitorio debent eſſe probati p.3.c.4.d 4. 20

Viſitator in Vicarium eligi non poteſt. p.3.c.7.d.14. 25

Viſitatores ſunt Iudices ordinarij; etiam extra viſitationis tempus. p.3.c.9.d 8. 31

Viſitatores abſoluere poſſunt à Caſibus Præpoſitis reſeruatis, ſed alijs hanc facultatem impertiri non poſſunt. p. 3.c.6.d 5. 24

quot Viſitatores ſunt eligendi. p 3.c 6.d. 1. 23

Viſitatores ius non habent capitulũ ingrediendi extra aſſignatam ſibi domum p.3 c 6 d.7. 24

Viſitatorum altero impedito, P. Generalis, vel Conſultores ſocium ſubrogare poſſunt. p.3.c.6.d 8. 24

Viſitatores, antequam diſcedant à domo, publicè ſignificent, quæ pro regulari obſeruantia iuſſerint facienda. p.3.c.6.d.6. 24

Vocales omnes domus inſiſtere poſſunt contra Reum, & à ſententia appellare pro Religionis bono. p.3.c.9.d.14. 31

Vocales tres vtriuſque vocis in qualibet Domo conſtitui debent. p.3.c.7.d.21. 27

ad Vocalatum ne quis in poſterum proponatur, qui ſcientijs non vacauerit. p 3.c.3.d 2. 19

qui nam Vocalis habeat vocem in electione vocalis pro Capitulo Generali. p.3.c.1.d.10. 17

Vocales, qui Capitulo Domus nõ cõuenı̃it, puniãtur. p 3.c.7.d.21.22

Vocales duo eligantur per menſem ante profeſſionem, qui de vita, & moribus nouitij inquirant. p. 2.c.4.d.16. 10

Vocalis ſi vnus remaneat in electione, poterit accedere ad Capitulũ Generale. p.3.c.1.d.4. 16

Vocales quando ſunt quatuor in electione, cui competat electio. p.3.c.1.d.9. 17

FINIS.

Digitized by Google